

155.

STUDIA CRITICA ET EPICRITICA IN PINDARUM

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN



TRAIECTI AD RHENUM
APUD J. L. BEIJERS
MDCCCLXXXIV.

STUDIA PINDARICA.


LUGD.-BAT., TYP. L. VAN NIFTERIK HZ.

STUDIA CRITICA ET EPICRITICA
IN PINDARUM

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN





TRAIECTI AD RHENUM
APUD J. L. BEIJERS
MDCCCLXXXIV.

Posteaquam in supplementis annalium philologicorum scripsi Pindarica, quae inde seorsum expressa Lipsiae prodierunt apud Teubnerum a. 1882, Pindarum saepius intenta mente legi atque relegi, neque est facile ullus poeta Graecus, quocum maiorem familiaritatem contraxi quam cum summo poeta Thebano. Inde factum ut, licet haudquaquam sim nescius quot et quantis difficultatibus prematur crisis Pindarica, iterum vel potius tertium (paucos enim locos iam a. 1870 tetigi in Miscellaneis criticis in lyricos Gr., quae accedunt animadversionibus philologicis meis ad Theognidem) in hanc palaestram audeam descendere, una cum novis inventis (ut omnis meae in Pindarum operae unus conspectus sit) compendiose repetiturus, quae alibi scripta nondum mihi displicuerint. In crisi autem hac Pindarica semper quam maxime poteram id egi, ut Pindarum ex se ipso et interpretarer et emendarem, rarissime aliorum poetarum usus testimoniis et, ubi ipsum poetam testem producere non poteram, semper mihi diffidens.

Olymp. I 3.

εἰ δ᾽ ἄεθλα γαρύεν
ἔλδεαι, φίλον ἦτορ,
μηκέτ᾽ ἀελίου σκόπει
ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄϛρον ἐρήμας δι᾽ αἰθέρος,
μηδ᾽ Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν.

Nuperrime Naber Mnem. 1884, pag. 25 sqq., non ferens quam cum Hartungio aliisque in Pindaricis meis p. 1 statuebam coniunctivi formam Homericam, scribendum proposuit αὖδα σύ μοι addens „nec certe quisquam dicit (dicet?) eam medicinam nimis violentam esse."

Quidquid alii dicturi sunt, ego non dicam. Facillime enim αὐδάσομεν nasci potuit ex αὐδάσομαι (quam confusionem videbis in lectionum varietate apud Bergkium ad O. II 92), hoc vero ex αὖδα σύ μοι. De remedii igitur lenitate convenit mihi cum amico, de novandi necessitate non item. Teneo enim quod tunc dicebam, nec refellitur a Nabero, O. VI 24 ὄφρα — βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαι δὲ κτέ. prius verbum non aliter quam posterius coniunctivum esse admodum videri probabile. Nam cum mutatae huius coniunctionis nullo praesertim intervallo structura omni exemplo caret, tum nullus est Pindari locus, ubi cum futuro, quod rarissime fecit Homerus, ὄφρα iunctum esse constet. De coniunctivo praeter h. l. constat ex O. XIV 22, P. I 72, IV 92, coniunctivus esse potest αἰνέσω O. VII 15, et controversa est verbi corrupti κελαδῆτε correctio P. XI 9, ubi Heyne κελαδήσετε coniecit, ego haud dubitem Bergkium sequi corrigentem κελαδῆτον. Quod autem etiam I. VIII (VII) 9 δαμωσόμεθα habui pro coniunctivo, id non feci, ut innuit amicus, propter scholiastae auctoritatem, quam in rebus grammaticis iuxta cum Nabero vilipendo, sed propter eam ipsam sanam rationem, ad quam provocat. Nempe huius loci ea ratio est ut, si interpreti optio detur inter utrumque modum, vix quemquam repertum iri putem, quin coniunctivum prae futuro amplectatur. Quam meam opinionem, quae est omnium, ni fallor, înterpretum, ut refutaret, Nabero adducendi fuerant loci ex antiquis poetis Graecis, potissimum ex ipso Pindaro, non ex Horatio, iique tales ut nihil quidquam probent, siquidem ibi quod ipse facturus est disertissime opponitur iis quae alios facere

iubet, quod non cadit in locum Pindaricum, ubi ab initio ad finem se ipsum cum civibus suis hortatur scribens: *ἐκ μεγάλων δὲ πενθέων λυθέντες // μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν στεφάνων, μήτε κάδεα θεράπευε, παυσάμενοι δ' ἀπρήκτων κακῶν // γλυκύ τι δαμωσόμεθα καὶ μετὰ πόνον.* In hoc ipso vero loco verba *πέσωμεν* — *θεράπευε* non ita leve habent momentum, quo loco nostro tueamur librorum lectionem *σκόπει* — *αὐδάσομεν.* Scire autem pervelim, quid habeat absurdi aut sanae rationi (cuius me quoque participem esse autumo) contrarium, statuere Pindarum, qui tot alia ab Homero mutuatus sit, ubi metrum suaderet, subinde veterem illum coniunctivum adhibuisse. Nonne Solon, ut hoc utar, cecinit:

Ἴομεν εἰς Σαλαμῖνα, μαχησόμενοι περὶ νήσου
ἱμερτῆς, χαλεπόν τ' αἶσχος ἀπωσόμενοι?

Amici igitur coniecturam, quamvis lenem et acute excogitatam, necessariam esse dubito, et librorum lectionem eo libentius retinebo quod, licet ultima singulorum versuum syllaba sit anceps, observavi tamen plerumque vel ultimae syllabae quantitatem in stropharum et antistropharum Pindaricarum versibus antitheticis esse eandem. Nam si recte calculos subduxi, in omnibus epiniciis versus antithetici hac in re sibi respondent 615 vices, i. e. paene bis saepius quam non respondent, discrepantes 365 vices. Quam proportionem haece tabella declarat:

Olymp. carm. . . .	187	:	122
Pythi. „ . . .	227	:	106
Nemeic. „ . . .	118	:	90
Isthmiac.	83	:	47.

In multis autem carminibus proportio est longe gravior, velut in O. VII, ubi ista syllaba vicies quinquies est eadem, quinquies tantum discrepat. Quae observatio hanc saltem habet utilitatem, ut in versuum finibus hic illic

optare possimus inter Infinitivi terminationes EN et EIN, quarum utraque poeta usus est, velut in ipso quem tractamus loco praeoptem formam *γαρύειν* propter vs. antitheticum 14. Ipsius poetae litteratura ΓΑΡΥΕΝ significabat utrumvis.

Sed utut de hac observatione, quam urgere nolim, iudicabitur, saltem non eam habet vim ut mordicus retineam *δωρήσεται*, pro quo fieri potest ut recte Naber coniecerit *δωρήσατο* O. VII 3.

V. 50. *τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν*
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Dett. libri *δεύματα*. Cl. Hesychio s. v. *δάσματα· διαμερίσματα*, conieci: *δάσματα κρεῶν διεδάσαντο* periphrastice dictum pro *κρέα διεδάσαντο* Pindar. 4. Ibidem v. 58 suspicabar: *τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλὰν* (pro *κεφαλᾶς*) *βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται* et dubitabundus Ϝ' *οἴων* pro *μενοινῶν*. De digamma apud Pindarum egi p. 5 et de sequentium verborum interpretatione p. 6 sq. Scholiastae ad v. 71 *ἄθλον* reddidi pro *ἆθλος*.

V. 115. *εἴη σέ τε τοῦτον ὑψοῦ χρόνον πατεῖν*
ἐμέ τε τοσσάδε νικαφόροις
ὁμιλεῖν πρόφαντον σοφίᾳ καθ' Ἕλλανας ἐόντα παντᾷ.

Schol. *τοῦτον ὃν ζῶμεν χρόνον*. Non haererem, si in praegressis aut sequentibus opponeretur vita apud inferos. Nunc de eo, qui hucusque *ὑψοῦ ἐπάτησεν*, expectabam potius:

εἴη σέ τε λοιπὸν ὑψοῦ χρόνον πατεῖν κτέ.

Cf. 97 sqq. In sequenti vs. *τοσσάδε* non potest significare *τοσόνδε χρόνον*, ut visum est Dissenio, sed procul dubio recte iam Boeckh interpretatus est *κατὰ τοσόνδε*, haud minus quam tu alte incedens. — De positione apud Pindarum et vocalium quarundam quantitate egi Pindar. 7 sq.

Olymp. II 19. ἐσλῶν γὰρ ὑπὸ χαρμάτων πῆμα θνάσκει (l. θνᾴσκει) παλίγκοτον δαμασθέν.

Naber mavult ἐσθλῷ, non ego. Nam non omne gaudiorum genus id habet, ut calamitatis adducat oblivionem, quam rem homines quotidie docemur, sed tantummodo ἐσλῶν χαρμάτων hoc proprium est.

Vs. 30. ἦτοι βροτῶν γε κέκριται
πεῖρας οὔ τι θανάτου
οὐδ' ἀσύχιμον ἁμέραν ὁπότε παῖδ' ἀελίου
ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν.

Cum Nabero hic malim βροτῷ, deinde melius haec verba intellegam, si pro ὁπότε rescripseris πότερα: nec nobis constat utrum solis filium diem tranquillum intemerata felicitate finire contingat, i. e. mane nescimus an ad vesperam perduratura sit felicitas. Etenim ὁπότε si legimus, cum bis idem poeta dixit, tum mire solus dies ultimus παῖς ἡελίου audit. 'Αμφίβολον δέ, ait vetus Scholiasta, πότερον αὐτῷ ὁ λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ θανάτου· οὐδὲ ὁπότε τελευτήσομεν τὴν ἐσχάτην ἡμέραν· ἢ ὅτι ἀθορύβως ἐν τῷ τοῦ ζῆν χρόνῳ· οὕτω δὲ καὶ 'Αρίσαρχος ἀκούει. Qua amphibolia rescripto πότερα liberamur. Elliptice saepe πότερον, ut Latinum utrum, usurpari nemo docendus est. Hanc coniecturam iam protuli in Animadversionibus philol. ad Theognidem a. 1870 Trai. a. Rh. ap. Beyers p. 75.

V. 43. νέοις ἐν ἀέθλοις — τιμώμενος.

Pindar. 8 legi iussi νέων, eandem rationem loci Euripidei Med. 48 esse recte negans. Ibidem v. 56 conieci εὖ (cum Rauchensteinio) δέ νιν ἔχων τις οἴσει τὸ μέλλον, ὅτι κτέ., illud qui habet aequo animo feret futurum, i. e. mortis formidine non agitabitur, quod cett. V. 62 pro-

babam Madvigii coniecturam κείναν pro κεινάν, repudiato ἔγχεος, quod pro ἐν χερός infeliciter substitui iussit Bergk et (pag. 9) v. 87 γαρύετε conieci pro γαρύετον.

V. 67. Apud inferos ἀπονέςερον ἐσλοὶ δέκονται βίοτον· οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ οὐδὲ πόντιον ὕδωρ. Equidem non video cur cum Nabero reponamus χαράσσοντες, nam pro turbandi verbo militare mihi videtur ἐν χερὸς ἀκμᾷ et qui opponitur ἀπονέςερος beatorum βίοτος. Melius fortasse Bergk χαράσσειν substituit P. XI 47 Φωνάν, ὑπ' ἄργυρον ἄλλοτ' ἄλλᾳ ταρασσέμεν, quod ibi sane ferri nequit.

V. 70.

ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ Φλέγει,
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων, ὕδωρ δ' ἄλλα Φέρβει.
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ ςεΦάνοις.

Bergk repudiatis Boeckhii et Karsteni coniecturis κεΦαλάς vel κροτάΦους pro ςεΦάνοις, nemini facile persuadebit ipse corrigens:

ὅρμοις ἐ τῶν χέρες ἀναπλέκοντι καὶ ςεΦάνοις,

ut ὅρμοις et ςεΦάνοις sint Accusativi Aeolici. Nam abiectae consonantis praepositionis ἐκ nullum in Graeca poesi usquam vestigium repertum est, neque in ea scriptura aptum est verbum compositum ἀναπλέκειν, quod ut ἀναδεῖν de redimiendo capite usurpari assolet. Melius saltem coniecisset:

ὅρμοις σΦε τῶν χέρες ἀναπλέκοντι καὶ ςεΦάνοις,

horum florum sertis et corollis manus eos redimiunt. Cum hoc loco componatur P. X 40.

V. 95. ἀλλ' αἶνον ἐπέβα κόρος
οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν,
τὸ λαλαγῆσαι θέλων κρύΦον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις.

Non male Naber *φιλῶν* coniecit pro *θέλων*. Ipse Pindar. pag. 9 proposueram:

ἀλλά, μάργων γὰρ ἀνδρῶν
τὸ λαλαγῆσαι, θέλων κρύφον τιθέμεν κτέ.

'Αλλὰ — γὰρ plerumque quidem apud nostrum est ellipticum, sed cf. P. 1 85

ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμοῦ φθόνος,
μὴ παρίει καλά.

Olymp. III. 3.

Μοῖσα δ' οὕτω ποι παρέςα μοι νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον
Δωρίῳ φώναν ἐναρμόξαι πεδίλῳ.

Admodum mihi placet Naberi coniectura *οὕτω μοι παρεςαίη*, nec sane displicet quod vs. 25 pro depravato *πορεύειν* coniecit *περαίνειν*, sed minime idem mihi persuasit vs. 14 corrigi iubens:

οὐ μὴν διώξω κεινὸς ἔμμεν
pro *οὔ μιν (νιν) διώξω· κεινὸς εἴην.*

Nam etsi pars librorum habet *μήν*, constanter Pindarus usus est forma Dorica *μάν*, quod nemo melius novit quam ipse Naber. Sed vel si *μάν* reponimus, nequaquam probabilis mihi videtur medicina, qua summus poeta dicere iubetur scilicet se non studiose sectaturum esse stultitiam, quasi vero quisquam mortalium reperiatur, qui dedita opera id faciat; ut taceam nusquam, quod sciam, a verbo *διώκειν* suspensum esse infinitivum sine articulo. Ceterum procul hodie absum, ut Optativum sine particula conditionali defendam, quem hic ferri non posse iam Hartung intellexit, non ita male suspicatus *οὔ μιν (μὰν?) διώξω κεῖσ' ὅς εἴη.* Ad formam Homericam *εἴη* pro *ἴοι* cf. Ω 139, ξ 496.

Nec male dictum foret, ut arbitror:

οὐ μὰν διώξω κεινὸν οἶμον.

Sed quod satis certum sit, frustra quaero. — In verbis modo praegressis Pindar. p. 9. commendavi nonnullorum librorum lectionem αἰδοιέστατος et P. IX 58 omnium codium scripturam κρατίσταν pro αἰδοιέστατον et κράτιστον.

V. 31. πνοιαῖς ὄπιθεν Βορέα.

Pessime Bergk soloecum Dativum pro πνοιᾶς, quod unus habet codex novicius, retinuit ob librorum scilicet auctoritatem. Quasi vero non constanter α αι et αυ a librariis confundantur et sit ulla in his minutiis librorum auctoritas.

Olymp. IV 19 οὐ ψεύδεϊ τέγξω λόγον.

Post enumeratas victoris virtutes potius expectabam:

οὐ ψεύδεϊ τέγγω λόγον.

O. VI 21 μαρτυρήσω est nunc et semper testabor, neque huc pertinet O. VII. 20 ἐθελήσω, dictum ut saepe βουλήσομαι. Cf. Pindar. p. 11.

Olymp. V. 7 . τὶν δὲ κῦδος ἁβρὸν νικάσαις ἀνέθηκε.

Naber p. 41 sq. „Potestne quis in certaminibus ἄρασθαι κῦδος ἁβρόν? Credebam omnem ἁβρότητα ab illis ludis longe abesse. Sic tamen I. I. 50 et O. V. 7. Dicerem sine controversia verum esse κῦδος ἀδρόν, sed id me retinet quod apud veteres poetas adiectivum non reperio." Abest sane ab ipsis certaminibus ἁβρότης. sed minime abest a gloria victoris. Ἁβρός Pindaro saepius est splendidus, felix. P. III 110 εἰ δέ μοι πότμον θεὸς ἁβρὸν ὀρέξαι. P. VIII 88 ὁ δὲ καλόν τι νέον λαχὼν ἁβρότατος ἐπὶ μεγάλας ἐξ ἐλπίδος πέταται ὑποπτέροις ἀνορέαις, ubi recte scholiasta intellexit εὐδαιμονίας, neque aliter intelligo P. IX 34 Τρώων ἔλυσε δόμους ἁβρότατος. Cf. etiam I. VIII 74, ubi victoriae praemium audit ἁβρὸς μυρσίνας στέφανος, et fr. II, 1. Si quid mutandum foret, potius corri-

gerem ἄκρον quam ἁδρόν, sed prorsus nihil est in tradita lectione, quod merito quisquam vituperet.

V. 10. ἀείδει μὲν ἄλσος ἁγνὸν τὸ τεὸν κτέ.

Verissime Hecker ἀέξει, ut arbitror, licet fortasse cogitari quoque possit de reponendo ἀείρει. O. IX 20

ὅθεν ςεφάνων ἄωτοι κλυτὰν
Λοκρῶν ἐπαείροντι ματέρ' ἀγλαόδενδρον.

Olymp. VI 7. ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀςῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς. Male interpretes iungunt ἐπικύρσαις ἐν ἀοιδαῖς, nam ita abesse debuerat praepositio. Verte: nactus cives non invidos (copiosos) in cantibus iucundis. Pindar. 10.

Olymp. V 12. Conieci: Ἁγησία, τὶν δ' αἶνος ἑτοῖμος, ὃν ἐνδίκου (pro ἐν δίκᾳ) // ἀπὸ γλώσσας Ἄδραςος — ἐφθέγξατο. Ibidem.

V. 15. ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τελεσθέντων.

Naber pag. 30 merito repudiatis, sed iusto acerbius vituperatis, sex virorum doctorum coniecturis, ipse id proposuit quod nemo Pindari admirator a summa poeta dici potuisse sibi persuadebit τέλος θέντων, quod si in omnibus libris legeretur, ut χαμαίζηλον et ἀπειρόκαλον, haud minus suspectum iudicarem quam quod nunc scriptum exstat. Quasi vero eiusmodi lectioni praesidio sit id quod, allatum a Nabero, magnifice poeta dixit O. II 15 οὐδ' ἂν χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.

Poëticum saltem est et Pindaricum quod proposui in Pindaricis p. 10:

ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τε δαισθέντων,

septem deinde rogis cadaveribusque igne voratis, cl. N. IX. 24, ubi est de eadem re: ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους φῶτας et Eurip. Heracl. 914 τὸν Ἀΐδα δόμον

κατέβα δεινῷ φλογὶ δαισθείς. Nam propter vocabuli πυρά originem poetam dativum πυρί vel φλογί omittere potuisse, non est quod dubitemus. Lenissima autem haec quoque est mutatio, siquidem litteras Δ et Λ et propter sequiorum pronuntiationem diphthongum αι et vocalem ε perpetuo confundi a librariis constat. Nabero si sua placet coniectura, non intellego cur tanto opere ei displiceat Bernhardyana, quae cum reliquis „nauseam ei creans" tamen eodem fere redit. Nam si unus ei displicet rogus, eodem iure πυραῖς scribere licet.

Olymp. VI. 61.

ἀντεφθέγξατο δ' ἀρτιεπὴς
πατρία ὄσσα μετάλλασέν τε νιν· Ὄρσο, τέκος, κτέ.

Tres critici (Hermann, Hartung, Rauchenstein) reponentes μεταλλάΣΣαντι a quo tandem verbo istum Aoristum derivarint, prorsus me latet. Nam a μεταλλάσσω fit μεταλλάΞαντι, a μεταλλᾶν vero μεταλλάσαντι, et verbum μεταλλάζω, a quo solo eiusmodi Aoristus formari potuit, nullum umquam exstitit. Si μεταλλᾶν huic loco satis aptum est, non male Rauchenstein, dummodo unum sigma deleveris, coniecisse videtur μεταλλάσ[σ]αντί Ϝιν· Ὄρσο, κτέ.

Prorsus certe repudianda Bergkii coniectura:

μετάνςασέν τε νιν κτέ.

Paullo ante, v. 58, una inserta litterula scripserim:

Ἀλφεῷ μέσσῳ <'γ>καταβὰς ἐκάλεσσε Ποσειδᾶν' κτέ.

Cf. N. I 38.

V. 86. ματρομάτωρ ἐμὰ Στυμφαλίς, εὐανθὴς Μετώπα,
πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν, τᾶς ἐρατεινὸν ὕδωρ
πίομαι, ἀνδράσιν αἰχματαῖσι πλέκων
ποικίλον ὕμνον.

Mezger pag. 141 scribit „Metope, die Tochter des Arcadischen Flussgottes Ladon, heisst die Nymphe eines gleichnamigens Wassers in der Nähe von Stymphalis; sie gebar dem böotischen Asopos die Thebe. Hinter ἔτικτεν ist ein Punct zu machen, τᾶς = ταύτας, sc. Μέτωπης, πίομαι „ich will trinken" namlich um mich durch ihr Wasser begeistern zu lassen — so auch Hartung. Der Zusammenhang von V. 82—87 ist folgender: Als ein Sohn der ritterlichen Thebe besinge ich gerne kriegerische Männer; dazu fühle ich mich jetzt aber ganz besonders angeregt, wo es gibt einen siegreichen Arkader zu verherrlichen, denn auch ich bin ein halber Arcader, da Metope die Mutter der Thebe in Stymphalos zu hause ist, zu ihr will ich mich darum begeben, um mich von ihrem Wasser begeistern zu lassen."

Haec difficilis loci interpretatio, in quo expediendo et emendando multus est Bergk in ed. IV, Nabero evertenda fuerat, antequam proponeret coniecturam suam πίνομεν — πλέκειν. Mihi de hoc loco non prorsus quidem liquet, sed nec possum nec volo refutare Mezgerum, quem de Aenea (v. 88) vide pag. 122 sq.

V. 78. ἐδώρησαν θεῶν κάρυκα.

Metrum Pindaro permittebat ut scriberet ἐδωρήσαντο, admissa synizesi in vocabulo sequenti, quemadmodum correctum est in codice A, et frustra quaero cur hoc loco non scripsisse censendus sit, quod omnium usu teritur et ab ipsius sermone non abhorret. cf. P. IX 57. O. VII 3. Scio apud Hesiodum hodie semel legi formam activam Opp. 81 sq., sed locus est manifesto spurius.

V. 97. Pro θραύσοι cur potius θραύσαι cum Hermanno, vel fortasse etiam melius θραύοι legam quam θράσσοι cum Boeckhio, dixi Pindar 10 sq., cl. Eurip. Herc. 776.

Olymp. VII 9. ἱλάσκομαι, natum ex ἵλαος, significare nequit, quod sumunt Scholiastam secuti interpretes, ἱλαροὺς ποιῶ, εὐφραίνω, sed hic est quod semper et ubique, ἱλάους ποιοῦμαι, propitios mihi reddo, tanquam deos, quos hymnis honoramus. Olympionicos divinis paene honoribus Graeci prosequebantur. Pindar. 11.

V. 58. ἀπεόντος δ' οὔτις ἔνδειξεν λάχος 'Αελίου.

Ante hos quatuordecim annos in Animadversionibus phil. ad Theognidem pag. 75 dixi Pindarum videri mihi scripsisse ἔνριψεν, quam coniecturam nunc repetit Naber. In Pindaricis fortasse ideo non feci mentionem, quod coeperam dubitare hocne verius esset, an ἤνεικεν. Nunc cum in idem inciderit Naber, maiore fiducia repeto quod olim repperi.

V. 73. Κάμιρον pro Κάμειρον ex vetustis titulis restitui Pind. 11.

V. 93 μὴ κρύπτε κοινὸν σπέρμ' ἀπὸ Καλλιάνακτος.

Quid requirat sententia, sensit scholiasta: μὴ κρύπτε τὸ κοινὸν καὶ διάδηλον τοῖς πολλοῖς τ. Κ. γένος, sed depravatam lectionem interpretatus est. Verum videtur κλεινόν, quod cum καινόν et κοινόν confundi assolet. Pind. 11.

V. 52. ἔργα δὲ ζωοῖσιν ἑρπόντεσσί θ' ὁμοῖα κέλευθοι φέρον.

Ambigi potest utrum recte Alexandrini vocem ΖΩΟΙCΙΝ hoc accentu donaverint, an poeta potius voluerit participium ζώοισιν. Dubites enim adhibito loco I. VII 30:

ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων
ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών, i. e. καὶ ἀποθανών.

Cf. Soph. O. C. 390. Ant. 210. 852. Tr. 73. 806. 1111. 1163. Ai. 1385. Ph. 412 (ubi tamen malim οὐκ ἦν ἔτι ζώς). Aesch. Sept. 1034. Ag. 630. Ch. 886. 915. 1043. Fr. 133, al. Sed vide I. III 10 μαρτύρια φθιμένων ζωῶν τε φωτῶν. Cum

igitur poetae Attici in talibus participium adiectivo praeferant, Pindarum utrumque sine discrimine adhibuisse apparet.

Olymp. VIII 11. ἔσπητ'. Portentosae formae fidem denegans Pind. 11 hic substituebam ἂν σπῆτ', O. IX 83 et P. 17 σύσποιτο pro ἕσποιτο, O. V 63 cum Bergkio (ed. II) ἔπραθον σπόμενοι pro πράθον ἑσπόμενοι. I. VI 17 conieci προσεννέπω ἀνδρὸς φιλτάτου // σπέσθαι κλυταὶς Μοίρας ἐφετμαῖς pro προσεννέπω ἑσπέσθαι κλυταὶς // ἀνδρὸς φίλου Μ. ἑ., aut αἰδεῖσθαι pro ἑσπέσθαι et ἐφετμαίς (Acc. Aeol.) pro ἐφετμαῖς. Verum si vidi, verbum compositum συνέπεσθαι, quod hodie apud Pindarum non legitur, bis oblitteratum est. In iis quae Pind. l. l. ad vs. 81 annotavi calami lapsu bis Alcidamantis pro Alcimedontis nomine legi animadverto.

V. 54. εἰ δ' ἐγὼ Μιλησία ἐξ ἀγενείων κῦδος ἀνέδραμον ὕμνῳ. Teneo quod conieci olim ad Theognidem pag. 75: εἰ δ' ἐμῷ — κῦδος ἀνέδραμεν ὕμνῳ. Barbarum est ἀνέδραΠον.

V. 41. ἔννεπε δ' ἀντίον ὁρμαίνων τέρας εὐθὺς 'Απόλλων. Placet nupera Fritschii coniectura ἀμφαίνων, in quam et ipse incideram.

Olymp. IX 78. Cum Nabero suspectum habeo verbum traditum ταξιοῦσθαι. Nam cum altum apud grammaticos de tam miro vocabulo est silentium, tum analogia destitutum videtur, siquidem verba in όω ab adiectivis, non a substantivis, formari assolent. Ceterum satis apta est scholiastae interpretatio παρατάττεσθαι, nec quod substituam reperio, nam de ἀντιοῦσθαι, de quo cogitavit Naber, ne cogitari quidem posse manifestum est. Vid. Addenda.

Idem vir doctus de σφετέρας h. l. disputans pag. 32 sq. attulit notum Aeschyli locum e Persis vs. 900:

καὶ τὰς εὐκτεάνους κατὰ κλῆρον Ἰαόνιον πολυάνδρους
Ἑλλάνων ἐκράτυνε σ φ ε τ έ ρ α ι ς φρεσίν

(quod enim apud Naberum legitur *χερσίν* pro *φρεσίν*, ipsius error est), ubi numeri *σφετέραις* depravatum esse evincunt. Nondum me poenitet coniecturae, quam olim protuli, Aeschylum dedisse *σ ο φ α ῖ ς φρεσίν*.

Idem deinde reprehendit scholiastam ad P. VIII 66 sq. annotantem: *τὸ δὲ ὑ μ α ῖ ς ἀντὶ τοῦ τ α ῖ ς σ α ῖ ς, καὶ πλεονάζει τούτῳ ὁ Πίνδαρος*. Equidem Scholiastam sua vineta, ut ait Naber, caedentem nihil moror (addit enim *τιμᾶται δὲ σφόδρα ἐν Αἰγίνῃ Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις*), sed tamen de omni sana, i. e. simplici nec artificiosa, interpretatione actum esse contendo, nisi *ὑμαῖς* pro *σαῖς* dictum sit in loco, qualis hic est:

νῦν δ', ἑ κ α τ α β ό λ ε, πάνδικον
ναὸν εὐκλέα διανέμων
Πυθῶνος ἐν γυάλοις,
τὸ μὲν μέγιστον τόθι χαρμάτων
ὤπασας, οἴκοι δὲ πρόσθεν ἁρπαλέαν δόσιν
πενταεθλίου σὺν ἑορταῖς ὑ μ α ῖ ς ἐπάγαγες,
ὦ ν α ξ, κτἑ.

praesertim ubi constat, quod non negat ipse Naber, Pindarum quinquies *σφέτερος* usurpasse pro *Fός*. Sed multo minus sentio vim argumenti, quo amicus utitur ad demonstrandum Pindarum, canentem P. VII 17 *νῖκαι — ὦ Μεγάκλεες, ὑ μ α ί τε καὶ προγόνων*, non usurpasse *ὑμαί* pro *σαί*, quae non Dindorfii tantum et Leop. Schmidtii, sed omnium, quod sciam, interpretum hodie sententia est. Nempe p o e t a, verba sunt Naberi, s i m u l c u m M e g a c l e e t i a m m a i o r e s e i u s a l l o q u i t u r. Quid quaeso ad rem? Si poeta dixisset: *νῖκαι —, ὦ Μεγάκλεες, σαὶ τε καὶ ὑ μ α ί, ὦ πρόγονοι Μεγακλέους*, re vera pronomine *ὑμός*, ut vulgo *ὑμέτερος*, de pluribus usus esset, nunc vero haud dubie usurpavit pro *σός*,

nisi forte putas Latine dici in tali sententia: „Victoriae, o Megacles, vestrae et maiorum." Dare fortasse poteram ὑμαί solitam vim habere, si verba τε καὶ προγόνων abessent, nam ita pronomen simul complecti maiorum honores suspicari saltem possemus; concedere idem poteram, si praeter Megaclem in hac ode fratres eius aut consanguinei, ut saepe fit a Pindaro, celebrarentur, sed, ut nunc res sese habet, non video quo pacto negemus poetam simpliciter ὑμός usurpasse pro σός. Nam durum est cum Boeckhio de omnibus Alcmaeonidis Megaclis aequalibus, quorum nemo in toto carmine commemoratur, sermonem esse statuere. Controversa est interpretatio locorum I. III 21. N. III 1. N. X 37, quos deinde Naber in fidem eorum quae asserit contulit, nam nemo ibi pro certo affirmarit poetam ὑμέτερος et ἁμέτερος solita vi usurpasse, licet procul absim, ut eum id fecisse pertinaciter negem: hoc volo locos esse eiusmodi, ut nullum inde argumentum derivari queat ad stabiliendam amici sententiam de loco P. VII 17, nec magis quidquam huic opinioni praesidii est in locis N. VII 37 et I. IV 18. Sed alii sunt loci Pindarici, neglecti a Nabero, ubi minus controversa est interpretatio. Nam P. IV 27 εἰνάλιον δόρυ μήδεσιν ἀνσπάσσαντες ἁμοῖς Medeam de suis solius consiliis loqui vel caeco manifestum est. Similiter N. III 9 verba τᾶς ἀφθονίαν ὄπαζε μήτιος ἁμᾶς ἄπο non de poetis in genere, sed de solo Pindaro, qui amplum meditatur carmen, intellegenda sunt, et haud dubie recte vertit Dissen: huius largam copiam praebe ex mente mea. Num vero P. III 111, ubi aegrotanti Hieroni dicit poeta:

εἰ δὲ σώφρων ἄντρον ἔναι' ἔτι Χείρων, καί τί οἱ
φίλτρον ἐν θυμῷ μελιγάρυες ὕμνοι
ἁμέτεροι τίθεν· ἰατῆρά τοί κεν νιν πίθον
καὶ νῦν ἐσλοῖσι παρασχεῖν ἀνδράσιν θερμᾶν νόσων
ἤ τινα Λατοΐδα κεκλημένον ἢ πατέρος,

probabile est Pindarum de aliis praeter se cogitasse? Utrum de pluribus an de solo Pindaro intellegendum putas idem pronomen in eiusdem carminis prooemio: Ἤθελον Χείρωνά κε Φιλυρίδαν, εἰ χρεὼν τοῦθ' ἀμετέρας ἀπὸ γλώσσας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος, ubi κοινόν sic demum pulchre dictum est, si ἀμετέρας dictum accipitur pro ἐμᾶς? Inter locos ubi ὑμέτερος reperitur (O. IX 54. P. IV 255. VIII 72. I. III 21 (VI 3). N. X 47), licet partim controversae sint interpretationis, nullum reperio ubi non satis commode pronomen ad plures referri possit.

Nisi egregie fallor, huius dicendi usus, sive abusum vocare mavis, prorsus eadem causa fuit poetis, quae eos movit ut haud raro substantivorum plurali pro singulari numero uterentur. Nempe gravitatem quandam et maiestatem ille numerus sublimiori quam sectabantur orationi conciliare videbatur, et fortasse licentiam metro saepe commodam eo avidius arripiebant, quo magis id agebant, ut Musarum sermo ab humili pedestrium sermone quam longissime distaret. Ἀμός autem et ἀμέτερος pro ἐμός interdum usurpata esse eo minus miramur, quod etiam in lingua communi ἡμεῖς, ut nos apud Latinos nonnumquam solum loquentem spectat, et in utroque sermone prima persona pluralis numeri pro singulari uti licuit. Quam vero longe pateat apud recentiores populos etiam in secunda persona tam verborum quam pronominum idem dicendi scribendique usus, nemo docendus est. De plurali maiestatis apud Latinos, sequiores praesertim, lectu digna sunt quae scripsit Emilius Chatelain, Révue de Philologie 1880, 2 livr., p. 129 suiv.

Olymp. IX 89.

οἷον δ' ἐν Μαραθῶνι συλαθεὶς ἀγενείων
μένεν ἀγῶνα πρεσβυτέρων ἀμφ' ἀργυρίδεσσιν.

Ingeniosa Bergkii est coniectura οἶνον pro οἷον, optimo

iure negantis verba συλαθεὶς ἀγενείων significare posse exclusus imberbium certamine. Attamen pulchro illo οἷον ἀγῶνα (quantum certamen!) invitus caream et vinum fuisse in ludis Marathoniis praemium nimis incerta suspicio est. Quare conicere malim:

οἷον δ' ἐν Μαραθῶνι Ϝειληθεὶς ἀγενείων
μένεν ἀγῶνα κτέ.

Cf. Homerus B 294.

V. 57. πρὶν Ὀλύμπιος ἁγεμὼν
θύγατρ' ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν Ὀπόεντος ἀναρπάσαις, ἕκαλος
μίχθη Μαιναλίαισιν ἐν δειραῖς, κτέ.

Ἕκαλος pessime multi interpretes praeeunte scholiasta explicant λάθρᾳ, afferentes Iliad. VIII 512 et Od. XVII 478, ubi idem est quod semper et ubique, tranquillus. Cf Buttmanni Lexilog. I 135. — Vs. 40 μή νυν (sine accentu) legendum esse et vs. 52 sq. cur ἀνάπωτιν obiectum, ἄντλον subiectum esse censeam monui Pindar. 12.

Olymp. X 7.
ἕκαθεν γὰρ ἐπελθὼν ὁ μέλλων χρόνος
ἐμὸν καταίσχυνε βαθὺ χρέος.
ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖαν ἐπιμομφὰν τόκος ὁ ναυτᾶν.

Cum artificiosissima sit interpretatio participii μέλλων, una mutata littera correxi ὀφέλλων, vertens: Nam e longinquo adveniens tempus augendo turpe reddebat ingens meum debitum; veruntamen diluere potest acrem reprehensionem fenus (quod solvam) nauticum. Pindar. 12.

Ibidem ὑπέρβιον vs. 29 cum Αὐγέαν, non cum μισθόν iungendum esse ostendi, tum egi de vi voculae καί v. 30 et de interpretatione vss. 51 et 82, v. 78 virgulam deleri iussi post ἀγερώχου, et v. 97 conieci:

κλυτὸν ἔθνος Λοκρῶν // ἀμϕιϜέπω κτἑ.

pro *ἀμϕἑπεσον.*

Unus praeterea locus in hoc carmine creat lectori molestiam. Nempe legimus v. 91 sqq.:

καὶ ὅταν καλὰ ἔρξαις ἀοιδᾶς ἄτερ,
'Αγησίδαμ', εἰς 'Αΐδα ϛαθμὸν
ἀνὴρ ἵκηται, κενεὰ πνεύσαις (i. e. *διακενῆς βιούς*)
ἔπορε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν.

Ibi enim interpretes *μόχθῳ* habentes pro dativo instrumentali, *ἔπορε* contra constantem verbi vim explicant parat. Numquam enim *πορεῖν* aliud significat quam *δοῦναι,* quare, si *ἔπορε* sanum est, suspensus inde est dativus commodi, ut sit: labori suo exiguam dedit voluptatem, qualem locutionem multum dubito num satis eo tueare, quod recte dicas praemio donare laborem. Expectabam equidem *ἔλαβε μόχθῳ βραχύ τι τερπνόν,* vel potius, quod lenius est, *εὗρε,* si hic trochaeum pro tribrachy admiseris, ut in ultimis vss. epodicis 62 et 124. Cf. ad Pyth. I 40.

Olymp. XI 11.

ἴσθι νῦν, — τεᾶς, 'Αγησίδαμε, πυγμαχίας ἕνεκεν
κῶμον ἐπὶ ϛεϕάνῳ χρυσέας ἐλαίας
ἁδυμελῆ κελαδήσω, κτἑ.

Hic quoque NYN non est temporale, itaque sine accentu scribendum *ἴσθι νυν.*

V. 16. *ἔνθα συγκωμάξατ'· ἐγγυάσομαι*
ὔμμιν, ὦ Μοῖσαι, ϕυγόξενον ϛρατὸν
μηδ' ἀπείρατον καλῶν,
ἀκρόσοϕον δὲ καὶ αἰχματὰν ἀϕίξεσθαι.

Immo vero *ἐγγυάομαι,* spondeo, non spondebo.

Olymp. XIII 10.

῞Υβριν, Κόρου ματέρα θρασύθυμον.

Pars librorum θρασύμυθον, cui lectioni nescio an etiam magis faveat loci contextus. Isthm. III 26 legitur κελαδεννὰ ὕβρις.

V. 109. Fortasse Pindarus hic et alibi censendus est pro Σικυών usurpasse formam nominis antiquissimam Doriensibus usitatam Σεκυών, ut idem procul dubio O. XIV 4 pro Ὀρχομενοῦ scripsit Ἐρχομενοῦ, quod unus codex servavit. Cf. Pindar. 14. Eandem nominis formam ubique poetae redde.

Pyth. I 16. Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψεν πολυώνυμον ἄντρον.

Naberum imprudentem video incidisse in laqueum, quem mihi quo tempore Pindarica scribebam hic locus tetendit, quique paene me quoque ceperat. Nam et ipse conieceram:

Τυφὼς ἑκατογκεφάλας· τόνπερ ποτέ κτἑ.

sed, antequam sero erat, scripta delevi. Coeperam enim mirari, qui fieri potuerit ut librarius pro vulgatiore vocabulo magis poeticum substitueret; mox vero didici mirificae formae satis praesidii esse in voce similiter formata ἑκατονταϜετής.

Nemo enim sanum esse negabit locum P. IV 282

ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ,

ubi ἑκατονϜετέϊ corrigi nequit, cum quia (ut ostendi Pindar. 5) nusquam apud Pindarum digamma positionem facere videtur, tum quod iota Dativi apud hunc poetam ne in arsi quidem producitur.

Praeterea egregio acumine Hermann in fragmento Pindarico 93, sic lecto apud Strabonem XIII 626:

ἀλλ' οἶος ἄπλατον κεράιζε θεῶν
Τυφῶνα πεντηκοντακέφαλον ἀνάγκᾳ Ζεὺς πατήρ
ἐν Ἀρίμοις ποτέ,

correxit: Τυφῶν' ἑκατοντακάρανον κτέ. adhibito Iuliani imperatoris indicio, qui Epist. XXII 395 scribens: ἢ ὅτι τὸν γίγαντα τὸν ἑκατοντακέφαλον ἐνὶ βλήματι καθελεῖν ἤρκεσεν hunc ipsum Pindari locum respexisse videtur. Qua emendatione cum et Pindaro metrum et Typhoni legitimus capitum numerus restituatur, merito eam in ed. IVtam lyricorum recepit Bergkius. Huiusmodi igitur formas licet explicare, certe probare, nequeamus, patienter in Pindaro ferre debemus. Fieri autem potest ut aliquando ex Boeoticis titulis appareat eas ab illa dialecto alienas non esse. Facile nasci potuerunt in ore populi ex falsa vocabulorum πεντακονταϜετής, ἑξακονταϝετής similiumque analogia, ut v. c. apud omnes Graecos μηΚέτι fallacem vocis οὐκέτι etymologiam secuta est. Nemini certe ius est unum ex his locis mutare, nisi simul indicare potuerit, quo pacto probabiliter reliquis succurramus.

V. 26. Correctionem παρ' ἰδόντων pro παρ' ἐόντων, quae procul dubio vera est, primus repperit Coraes, lettres inedites pag. 38. Pind. 13.

Vs. 27. οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς.

Montibus ignivomis non sunt μελάμφυλλοι κορυφαί; praeterea vero Aetnae, altissimi montis, cacumen perpetua nive tectum est. V. 20 πανετὲς χιόνος ὀξείας τιθήνα.

Quapropter poetae reddam:

οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλου δέδεται κορυφαῖς.

quod veritati prorsus congruit. Quis non inaudivit de Aetnae castaneis?

Vs. 40. ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν κτέ.

Cum in precibus apud Graecos, ut apud Latinos et populos fere recentiores, sollemne sit uti imperativi, non optativi secunda persona, merito hic expectes ἐθέλησον.

Hic locus effugit Naberi diligentiam pag. 37 in loco P. V 119 apte corrigentis *δίδοτ' ἐπὶ Fέργοισιν ἀμφί τε βουλαῖς ἔχειν* pro *διδοῖτ' ἐπ' ἔργοισιν κτέ.* De metro vide ad O. X 91 sqq.

Idem desperavit de corrigendo loco O. XIV 13 sq.

ὦ πότνι' Ἀγλαΐα φιλησίμολπέ τ' Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου
παῖδες, ἐπάκοοι νῦν, Θαλία τε
ἐρασίμολπε, κτέ.

ubi Rauchenstein scribendo *ἀκηκόοιτέ μευ* et Bergk *ἐπακοοῖτέ* (sic!) *νυν* et Hartung *ἐπαΐοιτε νῦν* soloecum optativum introducebant, Hermann vero *ἐπάκοος γένευ* coniciens soloecum numerum. His conatibus longe praestat Ahrensii suspicio *ἐπακροᾶσθε νῦν,* nisi quod male retinuit *νῦν* pro *νυν.* Cum tamen poetae lyrici et epici ab usu verbi *ἀκροᾶσθαι* et compositorum abstinuisse videantur, ne hanc quidem coniecturam facile admiserim.

Ego locum lacunosum esse crediderim et voculam *νῦν* interpolatam esse, qua deleta suppleverim:

παῖδες ἐπάκοοι <*γενέσθε*>. *Θάλειά τ'*
ἐρασίμολπε, κτέ.

recepta trium codicum BCN scriptura *Θάλεια.* Ad voculam *τε* in fine versus (continuata oratione) elisam cf. N. IV 63 *ὄνυχας ὀξυτάτους ἀκμάν τ' || ἢ δεινοτάτων σχάσαις ὀδόντων.* Vel in trimetrorum fine idem sibi permisisse Sophoclem notum est. Vid. Dindorf in annotat. Oxon. ad O. R. 332.

V. 44. *ἔλπομαι — βαλεῖν — ἀμεύσασθ' ἀντίους.*

Praefero alteram lectionem *ἀμεύσεσθ'.* Cf. P. IV 243. Soloece scriptum est O. I 109 *ἔτι γλυκυτέραν κεν ἔλπομαι σὺν ἅρματι θοῷ κλεΐξειν κτέ.* ubi tres codices voculam *κεν* omittunt. Non male Hartung *νίκαν γλυκυτέραν ἔτ' ἔλπομαι κτέ.* Locis ubi Aoristus sequitur N. IV 92. VI 27. VII 20 spectatur tempus praeteritum.

V. 60. ἄγ' ἔπειτ' Αἴτνας βασιλεῖ φίλιον ἐξεύρωμεν ὕμνον.
Nabero placet ἐξάρχωμεν, cl. N. II extr. Idem in margine exemplaris mei dudum annotaveram, collato praeterea N. III 10, ubi sic usurpatur verbum simplex. Insuper vero dubitabam an etiam lenius corrigi posset ἐξάρωμεν, collato Arist. Thesmoph. 981 ἔξαιρε δὴ προθύμως διπλῆν χάριν χορείας. Saepissime enim librariis confudisse α et ευ constat. Nihilominus scribendi usus magis commendat ἐξάρχωμεν.

V. 81. καιρὸν εἰ φθέγξαιο, κτἑ.
Metrum admittit καίρι' εἰ φθέγξαιο, sed καίριος non est vox Pindarica. Recte explicatur κατὰ καιρόν. Cf. Soph. Ai. 34 et 1295. Nescio igitur an v. 57

ὧν ἔραται, καιρὸν διδούς

rectius, deleta virgula, καιρόν adverbialiter accipiamus, eo tempore, quod (deo) opportunum visum erit.

Pyth. II 26. γλυκὺν ἑλὼν βίοτον.
Optime Naber pag. 36 ἔχων.

V. 28. Legimus de Ixione:

ἀλλά νιν ὕβρις εἰς αὐάταν ὑπεράφανον
ὦρσεν· τάχα δὲ παθὼν ἐοικότ' ἀνήρ
ἐξαίρετον ἕχε μόχθον. αἱ δύο δ' ἀμπλακίαι
φερέπονοι τελέθοντι· τὸ μὲν ἥρως ὅτι
ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς,
ὅτι τε μεγαλοκευθέεσσιν ἔν ποτε θαλαμοῖς
Διὸς ἄκοιτιν ἐπειρᾶτο.

Ex usu verbi ὦρσεν (non ὦσεν) apparet αὐάταν hic non significare, ut vulgo accipitur, noxam, sed scelus, flagitium, culpam. — Tum displicet articulus sic usurpatus de re nondum commemorata, neque enim sequente substantivo a Pindaro potuit usurpari pro αἵδε. Conieci ᾧ (referendum ad ἀνήρ) δύο γ' ἀμπλακίαι κτἑ.

Deinde Heckero merito suspectum fuit μεγαλοκευθής, quod vix significare potest spatiosus. Nec tamen probo quod coniecit μελανοκευθέεσσιν. Pindarum plurali numero θαλάμους usurpare solet de aedibus, non de cubiculo. Cf. P. IV 163. O. VII 29 (cf. V 13), quod si hic quoque fecit, μελανοκευθής (de cubiculo vix ferendum) prorsus ineptum est. Expectamus epitheton μεγαλοκυδέεσσιν, inclytis, magnificis, ut est apud Theocritum Id. XVII, 108 θεῶν ἐρικυδέες οἶκοι. Amat autem Pindarus compositionem per μεγαλο. Cf. μεγαλόπολις, μεγαλοσθενής, μεγαλόδοξος, μεγαλαυχής, μεγαλήτωρ, μεγαλάνωρ. — In proximis nota singularem usum verbi medii ἐπειρᾶτο pro eo quod dici solet ἐπείρα.

V. 41. ἐν δ' ἀφύκτοισι γυιοπέδαις πεϹών.

Praesertim in Aeolico carmine (cf. 91 ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς) necessario corrigendum est πεΤών, qua participii forma constanter usus est Pindarus. Cff. P. V 50. N. IV 41. O. VII 69, ubi eidem errori debetur varia lectio πέϹοισα. Cf. infra ad I. IV 35. In reliquis formis ἔπεσεν, πέσε, πέσωμεν eadem constantia apparet Σ, quapropter suspectum mihi est ἔμπεΤες P. VIII 81.

V. 56. τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριςον.

Mezger, qui corruptissima quaeque aequo animo concoquere assolet, contendit haec verba significare „reich zu sein indem einen zugleich das loos der weisheit zu theil wird ist das beste" et πότμου σοφίας unam esse notionem suspensam a τύχᾳ. Griphum sane si poeta auditoribus suis et lectoribus proponere voluisset, non potuisset melius occultare sententiam, sed rectissime Bergk locum depravatum esse intellexit, existimans cum reliquis fere interpretibus poetam dicere, optimum esse, si quis sapientiam cum opibus coniungat. Hanc sententiam Pindarus sic expressit in Pythiae quintae initio:

Ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής,
ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ
βροτήσιος ἀνὴρ πότμου παραδόντος αὐτὸν ἀνάγῃ
πολύφιλον ἑπέταν.

Similem quidem, sed paullo tamen diversam, sententiam poeta me iudice h. l. protulit, scribens una addita litterula:

τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας <τ'> ἄριστον.

divitem esse OPE fortunae et sapientiae optimum, qua declararet (sequitur enim τὺ δὲ σάφα νιν ἔχεις) Hieronem non fortunae tantum beneficio, sed etiam sapientiae suae et virtuti tantas opes debere.

Locus dudum correctus foret, si critici intellexissent aut meminissent, apud Pindarum formulam σὺν τύχᾳ (rarius τύχᾳ) significare ope. Sic N. VI 28 σὺν θεοῦ τύχᾳ est ope dei, N. IV 7 σὺν Χαρίτων τύχᾳ Gratiarnm ope, N. V 48 Μενάνδρου σὺν τύχᾳ, ope Menandri.

Pyth. III 21.

ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀνθρώποισι ματαιότατον,
ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω.

Legendum αἰσχυνθείς, vel multo potius ἀσχάλλων. Ad accusativum cf. Eurip. Or. 781. Pind. 15.

V. 27.

ἐν δ' ἄρα μηλοδόκῳ Πυθῶνι τόσσαις ἄιεν ναοῦ βασιλεὺς
Λοξίας κτέ.

Probabiliter Naber Δάλου coniecit pag. 36. Idem v. 41 mavult: οὐκέτι τλάσομαι ψυχᾷ γένος ἁμὸν ὀλέσθαι pro ὀλέσσαι. Pro qua opinione afferre fortasse potuerat vetus scholium οὐκέτι ὑπομενῶ τὸ ἐμὸν σπέρμα ἰδεῖν συναπολλύμενον τῇ Κορωνίδι. Vulgatam lectionem non defendam, qua ratione quodammodo defendi posse ipse vir doctus confitetur, sed potius sic ut dicam Apollinem re vera mittenda sorore filio in gremio

matris exitium afferre coepisse, quod hunc sustulisset, nisi pater ultimo temporis momento subvenisset. Praeterea verbum τλῆναι, ut τολμᾶν et ὑπομένειν cum nudo Infinitivo Activo recte coniungi scio, cum Accusativo et Inf. recte iungi ignoro et dubito.

V. 34. ἐς Λακέρειαν. Non fortuitum videtur, quod fabula hoc oppidum fecit Coronidis patriam. Cf. λακέρυζα κορώνη. Pind. 14.

V. 50. ἢ θερινῷ πυρὶ περθομένῳ δέμας ἢ χειμῶνι.
Non de ictu solis (sonnenstich) cogitandum cum Mezgero, sed de nimio calore aestivo, pariente febres. Pind. 15.

V. 52. γυίοις περάπτων πάντοθεν φάρμακα.
Perperam Mezger interpretatur de emplastris. E verbi usu apparet de phylacteriis sermonem esse, quae veteribus Graecis constanter audiunt περίαπτα.

V. 56. ἄνδρ' ἐκ θανάτου κομίσαι
ἤδη ἁλωκότα.

„Forma" scribit Naber pag. 37 (propter abiectam reduplicationem) et per se vix tolerabilis est; deinde etiamsi toleremus, non tolerabimus tamen primam syllabam corripi. Placet ὀλωλότα". Non Schmidtius aliquis, ut scribit amicus, sed vetus Pindari editor et egregius pro suae aetatis modulo criticus, Schmid, reduplicationem (codd. ἑαλωκότα) abiecit. Equidem non video, quo pacto, abiecta semel reduplicatione, prima syllaba produci queat, semper enim sic habui, in ἑάλωκα vocalem corripi, in ἑάλων produci, ut producitur in ἑώρων, corripitur in ἑόρακα similibusque. De abiecta reduplicatione non habeo quod dicam, sed invitus poeticum ἑαλωκότα abiciam, licet quo pacto tuear haud reperiam. Nam transponendo Ἤδη 'κ θανάτου κομίσαι // ἄνδρ' ἑαλωκότα iusto

durior nasci videtur structura; admittentes synizesin in ἑαλωκότα, syllaba non producta ad exemplum vocis θέος P. I 56, abuteremur loco fortasse non integro, et si integer sit, expediendo quomodo voluit Bergk in adnotatione ad eum locum; utentes aphaeresi, quae uocalis E spiritu aspero munitae rarissima est, metrum iugularemus. Quibus de causis, si abiecta reduplicatio defendi nequeat, etiam inviti cogimur accipere Naberi correctionem. Gratus ab eodem accipiam v. 80 ἐπίςασαι μαθὼν pro ἐπίςᾳ μανθάνων et v. 83 ςρέψαντι pro τρέψαντι, quarum correctionum hanc dudum in exemplaris mei margine annotaveram.

V. 101. ἐν πολέμῳ τόξοις ἀπὸ ψυχὰν λιπών. Cum Heckero requiro βαλών, nisi forte lenius corrigere licet δικών. Hoc verbum legitur O. X 72 et P. IX 123. Pind. 15.

Pyth. IV 3. Deleatur quantocius annotatio mea ad h. vs. in Pind. l. l.

V. 10. ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ.

Ad hyperbaticum usum voculae καί apud nostrum cf. O. II 31. V 16. P. X 58. N. VII 31. Huius tamen loci ea ratio est, ut vix dubitem corrigendum esse:

ἑβδόμᾳ σὺν καὶ δεκάτᾳ γενεᾷ.

V. 25. κριμνάντων pro κρημνάντων requiro cum Nabero, qui dicit se ea de re monuisse Mnem. XX 70, aut ignorans aut oblitus me multo ante ipsum eam quaestionem funditus tractasse in animadversionibus ad Lucianum Mnem. VII (N. S.) a. 1879 pag. 366.

V. 29. φιλίων δ' ἐπέων
ἄρχετο, ξείνοις ἅ τ' ἐλθόντεσσιν εὐεργέται
δεῖπ' ἐπαγγέλλοντι πρῶτον.

Nec πρῶτον aptum, nec universa periodi conformatio. Suspicor:

ξείνοις ἅτ' ἐλθόντεσσιν εὐεργέται,
δεῖπν' ἐπαγγέλλων προπρέων σφιν.

Cf. N. VII 86.

V. 35. δεξιτερᾷ προτυχὸν ξένιον μάςευσε δοῦναι.

Nota singularem huius compositi usum, qui iam advertit Alexandrinos. Nam teste Scholiasta Chaeris, quem igitur latuit numerorum ratio, reponebat παρατυχόν. Melius sane coniecisset τὸ τυχόν.

V. 64.

ἦ μάλα δὴ μετὰ καὶ νῦν, ὥςε Φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ
παισὶ τούτοις ὄγδοον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας.

Cum aliis hi versus laborant difficultatibus, quas non expedio, tum displicet μέρος. Pars codicum habet μέλος, sed vera lectio videtur γένος, quod etiam alibi similiter depravatum vidi.

Haec iam scripseram, cum incidi in suspicionem, qua et retineri μέρος et reliquae molestiae expediri posse videntur. Cum enim plerique codices omittant ὥςε (Bgk. ὥτε), nescio an hoc sit glossema, et genuina loci facies haec:

ἦ μάλα δὴ μετὰ κεῖνον φῶτα Φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ
παισὶ κλειτοῖς ὄγδοον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας.

i. e. Profecto post Battum adulto vere florido (flore aetatis) floret inclytorum eius posterorum octavus Arcesilaüs. Ad μέρος cf. P. XII 10.

V. 71. θέσφατον ἦν Πελίαν
ἐξ ἀγαυῶν Αἰολιδᾶν θανέμεν χείρεσσιν ἢ βουλαῖς ἀκάμπτοις.

Malit aliquis βουλαῖσι κρυπταῖς (s. κρυπτοῖς) vel βουλαῖς καλυπταῖς (καλυπτοῖς), aut vi aut dolo. Ceterum cf. Homericum ἀςεμφέα βουλήν.

V. 98. καὶ τίς ἀνθρώπων σε χαμαιγενέων πολιᾶς ἐξανῆκεν γαστρός;

Emendabam Pind. 18 ποτε Fᾶς, probante Nabero p. 35.

V. 109. λευκαῖς πιθήσαντα φρασίν.

Tuentur miram locutionem critici glossa Hesychiana λευκῶν πραπίδων, neque igitur licet corrigere quod expectes λυγραῖς. Num forte hoc λευκός etymologice cohaeret cum Homerico adiectivo λευγαλέος? Cf. Iliad. IX 119 'Αλλ' ἐπεὶ ἀασάμην, φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας, qui versus procul dubio haec canenti Pindaro obversabatur.

V. 117.

λευκίππων δὲ δόμους πατέρων, κεδνοὶ πολῖται, φράσσατέ μοι σαφέως
Αἴσονος γὰρ παῖς ἐπιχώριος οὐ ξείναν ἱκοίμαν γαῖαν ἄλλων.

Quod Bergk in adnotatione coniecit:

Αἴσονος γὰρ παῖς ἐπιχώριός <εἰμ'>, οὐ ξεῖνος ἵκω γ. ἄ.

multo me iudice praestat coniecturae, quam in textum admisit ἐπιχώριος, οὐ μὰν ξεῖνος ἵκω γ. α. Rectissime vero soloeco optativo valedixit, quam in ed. III retinebat vel potius introducebat (libri enim ἰκόμαν) corrigens οὐ ξείνων ἱκοίμαν οἶκον ἄλλων, quem striblíginem facillime evites scribendo:

οὐ ξείνων ἱκοίμαν δῶμ' ἂν ἄλλων.

Quae aptissima sane est sententia: Ego enim Aesonis filius in hac terra natus in aliorum hospitum domum devertere nolo.

V. 126. ταχέως δ' Ἄδματος ἶκΕν καὶ Μέλαμπος εὐμενέοντες ἀνεψιόΝ. ἐν δαιτὸς δὲ μοίραΙ μειλιχίοισι λόγοις αὐτοὺς Ἰάσων δέγμενος κτέ.

Nondum me poenitet coniecturae, qua Pind. 15 partim cum aliis corrigebam ἶκΟν — ἀνεψιοΙ. — μοῖραΝ.

V. 133. *οἱ δ' ἐΠέσποντο.* Error per editiones turpiter propagatus pro *ἐΦέσποντο.* Nam *ἑσπόμην·* habet spiritum asperum.

V. 136. *Τυροῦς ἐραΣΙπλοκάμου.*
Hoc foret cincinnorum amans, ut carminum amica *ἐρασίμολπος* aptum est Thaliae epitheton O. XIV 15, sed cincinnorum amans non nisi in vituperio poni poterat. Scripsit vero Pindarus, ni fallor, *ἐραΤΟπλοκάμου*, pulchris cincinnis, ut legitur apud Orpheum H. 42, 2. Cf. *ἐρατῶπις* et *ἐρατόχρους.*

V. 142. *μία* ΒΟΤΣ *Κρηθεῖ τε μάτηρ*
καὶ θρασυμήδεϊ Σαλμωνεῖ.

Invenustam, quinimo incredibilem, lectionem frustra interpretes tueri, ostendere conabar Pind. 16, et protuli suspicionem, vocabulum antiquitus errore natum esse ex Boeotico ΦΟΤ (i. e. *φῦ*) male intellecto, nec muto sententiam.

V. 139. *ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι*
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον.

Non persuasit mihi Naber coniciens *ὠκύποροι.* Equidem in comparativo hic non magis haereo quam v. c. Nem. XI 22: *ἐλπίδες δ' ὀκνηρότεραι γονέων παιδὸς βίαν ἔχον ἐν Πυθῶνι πειρᾶσθαι καὶ Ὀλυμπίᾳ ἀέθλων.* Comparativus Graece saepe ponitur ut apud Latinos, ut iusto maiorem gradum significet. Verte celeriores, i. e. plus aequo celeres. Neque eo confugiam, ut dicam Pindarum hic scripsisse *πρὸ δίκας* pro *ἢ δίκαν.*

V. 154. *ἄνευ ξυνᾶς ἀνίας,* sine communi dolore, i. e. sine rixa. Non intellexit Mezger.

V. 163. *μεμάντευμαι δ' ἐπὶ Κασταλίᾳ*
εἰ μετάλλατόν τι. καὶ ὡς τάχος ὀτρύνει (deus) *με τεύχειν*
[*ναῒ πομπάν.*

Schol. εἰ ἐρευνητέον καὶ φροντιςέον. Dissen „cum etiam falsa et mendacia somnia sint, rogat num haec res talis sit de qua accuratius quaerendum, de quo consuli queat deus, quid facto opus sit." Haud vidi magis! Cur quaeso istae ambages? Quidni statim deum rogat, quid factu opus sit ad iram deorum inferorum placandam. Cf. 159 δύνασαι δ' ἀφελεῖν μᾶνιν χθονίων. Hoc vero ipsum Peleus se fecisse dixit, nisi egregie fallor. Scripserat enim poeta:

μεμάντευμαι δ' ἐπὶ Κας αλίᾳ,
εἰ κατάλλακτόν τι,

numquid expiari possit, aut etiam lenius:

εἰ μετάλλακτόν τι,

numquid mutari possit. Posterius nunc laetus video in quarta editione (tertia enim uti soleo) propositum esse a Bergkio, sed prior correctio nescio fere an praeferenda sit. Constanter confundi a librariis utramque praepositionem notum est.

V. 173.

αἰδεσθέντες ἀλκάν.

Ἀμνασθέντες ἀλκᾶς vel ἆς μνασθέντες ἀλκᾶς, suae memores virtutis, suspicabar Pind. 16.

V. 184. τὸν δὲ παμπειθῆ γλυκὺν ἡμιθέοισιν πόθον ἔνδαιεν Ἥρα ναὸς Ἀργοῦς, μή τινα — παρὰ ματρὶ μένειν κτέ. Haereo in articulo, quia in praegressis nondum diserte significatum est desiderium. Quare vide nonne praestet coniunctim scribere: Τόνδε κτέ. referendum, ut solet, ad sequentia: i. e. τοσοῦτον — ὥςε μὴ κτέ.

V. 199. ἀμπνοὰν δ' ἥρωες ἔςασαν.

Placet Coraesii (lettres inédites) coniectura ἄμπλοον.

V. 213. μῖξαν Αἰήτᾳ παρ' αὐτῷ.

Pind. p. 15 emendavi τ' ἀγαυῷ, cl. 241. Vide etiam V. 72 et fragm. ap. Plat. Men. p. 813 et Bergkii correctionem P. VIII. extr.

V. 228. ἀνὰ βώλακας, ἐς δ' ὀρόγυιαν κτέ.
Sic egregie Hartung pro βωλακίας. Ibidem.

V. 244. Lego: κεῖνο (sc. τὸ δέρμα) λόχμᾳ δράκοντος λεί-
[χετο λαβροτάτοιν γενύοιν.
Partim praeiverat Bergk coniciendo:
κεῖτο γὰρ λόχμᾳ δράκων, τοῦ λείχετο λαβροτάταιν
[γενύοιν.
Vid. Pind. 17. Vulgo: κεῖτο γὰρ λόχμᾳ, δράκοντος δ' εἴχετο λαβροτάτων γενύων.

V. 245. πεντηκόντΟρον. Pars codicum πεντηκόντΕρον, quam rariorem formam titulorum vetustorum testimonio commendavi ibidem.

Vs. 250.
ὦ 'ρκεσίλα, κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτῷ, τὰν Πελίαο φόνον.
Peringeniosa et, ni fallor, vera est Bergkii correctio σὺν αὐάτῳ (vellere); sed cum de personis sollenni usu adhibeatur verbum compositum ἐκκλέπτειν, praeterea repetita littera scripserim:
ὦ 'ρκεσίλα, 'κκλέψεν τε κτέ.

V. 263. De huius loci sententia egi Pind. 15 sq.

V. 264. εἰ — ἐξερείψῃ κε (sic plerique codd., unus καί, recc. κεν) μεγάλας δρυός, αἰσχύνῃ δέ οἱ θαητὸν εἶδος. Bergk, postquam in ed. III soloecum κεν retinuerat, in IVta de

suo dedit *καμ*, quod, quia nullum unquam fuit verbum *κατεξερείπειν*, male abundat. Quidni potius Hermannum secutus dedit *μέν*?

V. 275. *τὶν δὲ τούτων ἐξυφαίνονται χάριτες.*

Conieci *τούτω γ'*, sc. *τοῦ θεόν σοι κυβερνατῆρα γενέσθαι.* De Dorica genetivi forma egit Bergk ed. IV ad vs. 255. Pind. l. l. Ibidem dixi cur improbanda sit Bergkii coniectura *ἀφθίτους* v. 291.

V. 281. *κεῖνος γὰρ ἐν παισὶν νέος,*
ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς ἐγκύρσαις ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ,
ὀρφανίζει μὲν κακὰΝ γλῶσσαν φαεννᾶΣ ὀπός.

De difficillimi loci sententia pluribus disputans Pind. 17 conieci:

κεῖνος γὰρ ἐν πράξει νέος,
ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς — βιοτᾷ,
ὀρφανίζει μὲν κακᾶΣ γλῶσσαν φαεννὰΝ ὀπός,

liberam servat a maledicentia claram (puram) vocem. Cf. I. IV 7 *ὀρφανὸν ὕβριος.*

Pyth. V 15. *ὅτι βασιλεύς*
ἐσσι μεγάλων πολίων
ἔχει συγγενής
ὀφθαλμός
αἰδοιέςατον γέρας, τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί.

Receptis certis emendationibus *συγγενές* et *αἰδοιότατον*, locum persanatum esse negabam Pind. l. l., ubi conieci:

ἔχων (cum Hartungio) *συγγενές*
θνατοῖσιν
αἰδοιότατον γέρας τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί.

habens hereditarium illud honoratissimum mortalibus munus cum tua iunctum sapientia. Nam

vereor ut sufficiat quod lenius ibidem proposui ὀφθαλμοῖς, (hominum scil.) oculis maxime reverendum.

V. 62. ὄφρα μὴ ταμίᾳ Κυράνας ἀτελὴς γένοιτο μαντεύμαΣΙΝ. Nescio an Pindarus scripserit, quod omnes dicebant, ἀτελὴς — μαντευμάΤΩΝ.

V. 113. ἀγωνίαις δ' ἕρκος οἶον σθένος, i. e. ἐν δ' ἀγωνίαις (ἔπλετο τοιοῦτος τὸ σθένος) οἷον (τὸ σθένος πέλεται) ἕρκος. Male igitur Bergk in ed. IVta diremtis litteris dedit οἶ' ὂν σθένος, in quibus praeterea male abundat pronomen possessivum. Pind. 18.

V. 120. μὴ — ἀνέμων — καταπνοὰ δαμαλίζοι χρόνον. Lege πελεμίζοι cl. N. VIII 28, et cum Heckero θρόνον. Ibidem.

Pyth. VI 19. σχέθων. Miror Bergkium scribentem „non ausus sum σχεθών novare". Qui repente tam pusillanimus factus est vir saepe iusto audacior? Num forte incertum est σχεθεῖν esse aoristum, ut εἰργαθεῖν, ἀμυναθεῖν, ἀλκαθεῖν, διωκαθεῖν, εἰκαθεῖν, et nullum unquam praesens σχέθειν exstitisse?

V. 23 sq. E Chironis praeceptis laudatur hoc:

μάλιςα μὲν Κρονίδαν
— θεῶν σέβεσθαι·
ταΎτας δὲ μή ποτε τιμᾶς
ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.

Bergk, qui recte intellexit pronomen ταύτας ferri non posse, haud felicissime in ed. IIIta αὔτως, in IVta αὔτως proposuisse mihi videtur, quippe quod misere langueat. Vix dubito verum esse:

ταΚτᾶς δὲ μή ποτε τιμᾶς κτέ.

Eandem litteram κ supra periisse vidimus in μετάλλατον P. IV 164. Legitur ἐπιτακτόν P. IV 236. Wilamowitz-Müllendorf N. IX 39 iure an iniuria τακτάν pro ταύταν substituendum esse coniecit.

Pyth. V 42. Statua ex uno stipite facta absurde vocatur μονόδροπον φυτόν. Conieci μονόδρυον τυπόν. Pind. l. l.

Pyth. VI 10. ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθών.
Conieci dubitabundus ἄιγδ' ἐπελθών. Pind. l. l.

V. 28. ἔγεντο καὶ πρότερον 'Αντίλοχος βιατὰς
νόημα τοῦτο φέρων.
Malim τρέφων, ut P. V 108 νόον φέρβεται. Pind. 19.

Pyth. VII 20. De sententia egi ibidem.

Pyth. VIII 8.
ὁπόταν τις ἀμείλιχοΝ
καρδίΑΙ κότοΝ ἐΝελάσῃ.
Nemo mortalium ipse pectus suum cogit ad iram. Conieci:
ὁπόταν τις ἀμείλιχοΣ
καρδίΑΙC κότοΣ ἐΠελάσῃ.
ubi immanis simultas (civium) corda invaserit, aut
ὁπόταν τις ἀμείλιχοΝ
καρδίΑC κότοΝ ἐΠελάσῃ,
scil. aliis, sumta imagine ab equite equum immittenti adversariis. Vulgata frustra interpretantur. Ibidem.

In ipso carminis initio
'Ασυχία — πολέμων
ἔχοισα κλαῖδας ὑπερτάτας
cave vertas summas claves, nam qui summum regimen

habet, dicendus est tenere claves, quae non magis summae sunt quam mediae aut infimae. Sed intellege admodum validas, potentes, ut est v. c. fr. 169 ὑπερτάτᾳ χειρί.

V. 29. εἰμὶ δ' ἄσχολος ἀναθέμεν πᾶσαν μακραγορίαν λύρᾳ —, μὴ κόρος ἐλθὼν κνίσῃ. Ultima verba μὴ — κνίσῃ suspensa sunt a sententia omissa. Plena enim sententia haec foret „otium mihi non suppetit, ut multus sim in singulis commemorandis, nec si suppeteret, eo abuterer, ne" cett. Alia contractae orationis apud Pindarum exempla haec sunt: O. VII 23. P. IX 71. N. VIII 27. I. VI 15 sq. Fragm. 112. Pind. 20.

V. 57. Ἀλκμᾶνα — γείτων ὅτι μοι καὶ κτεάνων φύλαξ ἐμῶν. Nihil aliud dicit poeta, quam heroem suis aedibus vicinum rerum suarum saluti invigilare, nec de poetae pecunia in Alcmanis sacello deposita cogitandum esse videtur. Ibidem.

V. 69. ἀμφ' ἕκαστον ὅσα νέομαι.
Corrigo: ἀμφ' ἕκασϛ' ἐν (i. e. ἐς) ὅσα νέομαι, i. e. quae aggredior. Ibidem. Cf. ad P. IV 127 et ad I. I 1.

V. 74. Impugnata Mezgeri coniectura πέρα φρονῶν (quod significaret nimis sapiens), conieci περισσόφρων, egregie sapiens pro πεδ' ἀφρόνων. Pind. 20 sq.

V. 76. Conieci: δαίμων δὲ παρίσχει ἄλλοτ' ἄλλον ὕπερθε βαλλων ἄλλου θ' ὑπὸ χειρῶν pro ἄλλον δ'. Modo hunc modo illum (alteri) superne iniciens aut manibus (eius) subiciens. Ibidem. Ad. Gen. χειρῶν cf. Hes. Th. 717.

V. 78. μέτρῳ κατάβαιν'. Impugnatis interpretandi conatibus, conieci καλὰ πάντ'· ἐν Μεγάροις κτέ. Ibidem.

V. 81. *τέτρατι δ' ἔμπετες* (*ἔμπεσες*? Vid. ad P. II 41).

σωμάτεσσι κακὰ Φρονέων·
τοῖς οὔτε νόςος ὁμῶς
ἐπ' ἀλπνὸς ἐν Πυθιάδι κρίθη,
οὐδὲ μολόντων παρ ματέρ' ἀμφὶ γέλως γλυκύς
ὦρσεν χάριν.

Quia nullum est verbum *ἀμφορνύναι* voculam *ἀμφί* hic adverbium esse statuunt interpretes. Non tuetur hunc usum locus P. IV 81

ἀμφὶ δὲ παρδαλέᾳ ςέγετο Φρίσσοντας ὄμβροις,

quia non dubito quin *ἀμφιςέγειν* aeque recte dici potuerit quam *περιςέγειν*. Melius igitur adverbialem usum pro *ἀμφίς* tuearis analogia vocabulorum *πολλάκις, τετράκις*, similium ultimam litteram metri causa interdum abicientium. Nihilominus quia h. l. non circumstantium, sed matris dulcis risus potissimum cogitandus videtur, haud diffiteor scriptum me malle:

οὐδὲ μολόντων παρ ματέρ' ἄν σφι γέλως γλυκὺς
ὦρσε χάριν.

i. e. *ἀνῶρσέ σφι χάριν*, gaudium iis excitat. Cf. N. IX 8. Structura *μολόντων* — *σφι* nihil est apud Graecos vulgatius. Multo durius poeta O. XIII 14 sq. iunxit *ὔμμιν* — *ὑπερελθόντων*. In ipsis sequentibus pulcherrima est Bergkii correctio *κατὰ λαύρας χορῶν* (pro *δ' ἐχθρῶν*) *ἀπάοροι πτώσσοντι, συμφορᾷ δεδαγμένοι*. Ad sententiam cf. fr. 229.

V. 92. *ἐν δ' ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται· οὕτω δὲ καὶ πιτνεῖ χαμαί, ἀποτρόπῳ γνώμᾳ σεσεισμένον.* Procul dubio verius Boeckh aliique aversum animum tribuunt Deo aut Fortunae, quam Mezger ipsi gaudio, siquidem *σεσεισμένον* manifesto vim indicat aliquam externam. Comparatur enim *τὸ τερπνόν* plantae vel flori, qui, ut celeriter crescit, ita vento concussus brevi cadit humi. Planius tamen vellem poetam

mentem suam significasse scribendo ἀποτρόπῳ πότμῳ vel τύχᾳ. Pind. 21 sq. Quidquid est, falli videtur Bergk in ed. IVta Pindarum putans sic scripsisse pro γνώμᾳ ἄπο τρόπου. Olim ad Theognidem p. 76, cl. P. X 20 μὴ φθονεραῖς ἐκ θεῶν μετατροπίαις ἐπικύρσαιεν, periclitabar coniecturam Pindarum scripsisse μετατρόπῳ sive πεδατρόπῳ γνώμᾳ. In uno codice est παρατρόπῳ. Sed maior est difficultas in γνώμᾳ (non addito θεοῦ) quam in ἀποτρόπῳ.

Pyth. IX 5. ἀνεμοσφαράγων ἐκ Παλίου κόλπων.

Interpretantur vento strepentibus, sed, si ita scripsit poeta, nescio an vertendum sit vento turgidis, i. e. plenis, ventosis. Nempe sic mihi persuadeo, initio duo fuisse verba penitus diversa, sed ob similitudinem deinde confusa, σμαραγεῖν, strepere et σφαραγεῖν, cognatum eum σπαργᾶν, turgere. Iam olim in Quaestiunculis epicis et elegiacis monui Od. IX 398

σφαραγεῦντο δέ οἱ πυρὶ ῥίζαι
ὀφθαλμοῦ

vitiose dictum videri pro σμαραγεῦντο (cf. Β 210. 463. Φ 190), cum recte legatur Od. ι 439 sq.:

θήλειαι δ' ἐμέμηκον ἀνήμελκτοι περὶ σηκούς·
οὔθατα γὰρ σφαραγεῦντο.

Quod discrimen si recte statui, dubium non est quin Pindaro N. VII 24

τέκες Αἰακὸν βαρυσφαράγῳ πατρί.

reddi oporteat: βαρυσμαράγῳ πατρί,

et idem vitium imposuerit Eustathio pr. 16 et ad Od. 1636, 8 poetae nostro tribuenti Iovis epitheton ἐρισφάραγος pro ἐρισμάραγος. Vid. fragm. 14. 15. Nostro quoque loco praefero ἀνεμοσμαράγων.

V. 23. τὸν δὲ σύγκοιτον γλυκὺν
ὕπνον ἐπὶ γλεφάροις
παῦρ' ἀναλίσκοισα ῥέποντα πρὸς ἀῶ.

Corrigo ἀναλίσκοισ' ἄρ' ἐπόντα, vel elegantius ἀναλίσκοισα πετόντα, collatis locutionibus ἐπ' ὀφθαλμοῖς πίπτειν, ἐπ' ὄμμασι βάλλειν, similibus. Pind. 22.

V. 29. αὐτίκα δ' ἐκ μεγάρων Χείρωνα προσήνεπε φωνᾷ·
Σεμνὸν ἄντρον — προλιπὼν κτέ.

Conieci ἐκκαλέων, cl. N. I 60, vel δ' ὢν μεγάλᾳ. Ibidem.

V. 36. ὁσία κλυτὰν χέρα οἱ προσενεγκεῖν
ἦ ῥα, καὶ ἐκ λεχέων κεῖραι μελιηδέα ποιάν.

Suspicor ἦκα, leniter, ut amator, non feroci impetu, ita ut puellam terreret infestamque sibi redderet, cll. Hom. Ω 508. σ 92, 94. Ibidem.

V. 40. Φοῖβε, καὶ ἔν τε θεοῖς τοῦτο κἀνθρώποις ὁμῶς
αἰδέοντ', ἀμφανδὸν ἀδείας τυχεῖν τὸ πρῶτον εὐνᾶς.

Optimo iure in τοπρῶτον haesit Naber pag. 38 sq., sed vulnus non sanasse mihi videtur reponendo τὸ παράπαν, quod neque metri responsione commendatur neque sententia, neque usu Pindari et poetarum, qui παράπαν numquam, quod sciam, dixerunt. Mihi venit in mentem:

ἀμφανδὸν ἀδείας τυχεῖν ἐρῶντες εὐνᾶς,

sed facile cedam evidentiori coniecturae.

V. 67. ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη θεῶν
πρᾶξις ὁδοί τε βραχεῖαι.

Languet ἤδη. Placet αἰεὶ. Pind. 23.

V. 93. εἰ φίλος ἀςῶν ΕΙ τις ἀντάεις.

Requiro Η, ἤ, nec dubito amplecti Hermanni sententiam

O. XIV 6 corrigentis: *κεἶ σοφὸς ᾖ* (pro *εἰ*) *καλὸς ᾖ* (pro *εἰ*) *τις ἀγλαὸς ἀνήρ*. Si quis nostro loco mavult *κεἶ τις ἀντάεις*, per me licet, sed non fero asyndeton.

V. 113 sq. sic scribo: *ἄκουσεν Δαναόν ποτ' ἐν Ἄργει // οἷον εὑρὼν* (pro *εὗρεν*) *τεσσαράκοντα καὶ ὀκτὼ παρθένοισι, πρὶν μέσον ἆμαρ, ἕλεν* (pro *ἑλεῖν*) // *ὠκύτατον γάμον*, i. e. audivit, quo invento Danaus aliquando filiabus suis celerrimum matrimonium paraverit.

Pyth. X. 8. *Παρνάσιος*. Pars librorum *Παρνάσσιος*, ut perpetuo in ea scriptura variatur. In marmore Pario (e recensione Ioannis Flach Tubingae 1884) vs. 4 legitur: *ἀφ' οὗ Δευκαλίων παρὰ τὸν ΠαρναΣΣὸν ἐν Λυκωρείᾳ ἐβασίλευσε*; itaque III ante Chr. seculo nomen duplici Σ exarabatur. Cur hodie fere viris doctis placeat scriptura per unam sibilantem iuxta cum ignarissimis ignoro.

V. 10. *Ἄπολλον, γλυκὺ δ' ἀνθρώπωΝ τέλος ἀρχά τε δαίμονος ὀρνύντας αὔξεται*. Melius equidem intellegam *ἀνθρώπωΙ*, non enim de hominum, sed de rerum humanarum fine et initio sermo est. Laetus homini (rerum) exitus et finis deo movente fit.

V. 21. *θεὸς εἴη // ἀπήμων κέαρ.*

Omissa vocula conditionali, non admitto Bergkii et aliorum interpretationem: Si quis aerumna prorsus fuerit liber, diis sit aequiparandus, et vitium subesse credo. Optime procedit oratio, si pro *εἴη* substitueris *αἰεί* cum Schneidewino, aut *οἷος* cum Hermanno. Eadem de causa improbo Bergkii correctiunculam v. 29

πλόον ναυσὶ δ' οὔτε πεζὸς ἰὼν εὕροις

ubi edidit *ἰὼν* <*τάχ'*> *εὕροις*, quod lectum fuisse a scholi-

asta perperam effecit ex liberiore eius explicatione εὐμαρῶς εὕροις. Optime iam olim Moschopulus suppleverat ἰὼν <ἂν> εὕροις. Voculam conditionalem litterae praecedentes perfrequenti errore absorpserant.

V. 37. Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ
τρόποις ἐπὶ σφετέροισι.

Nihili est δρόποις, quod Bergk, pro δόρποις scilicet dictum, poetae obtrudit. Conieci πότοις, i. e. συμποσίοις Pind. 23.

V. 39. παντᾷ δὲ χοροὶ παρθένων
λυρᾶν τε βοαὶ καναχαί τ' αὐλῶν δονέονται.

Nescio an antiqua scriptura ΒΟΑΙ ΚΑΝΑΧΑΙ potius interpretanda fuisset βοᾷ καναχᾷ. Cf. Pind. 14 ad Pyth. I 40.

Pyth. XI 24. ἑτέρῳ λέχεϊ δαμαζομέναν (Clytaemnestram). Bergk in ed. III suspicatus δακναζομέναν, non de Aegistho adulterio, sed de furtis Agamemnonis agi recte observarat, nec eam sententiam in ed. IV retractare debuerat. Nam si de Clytaemnestrae cum Aegistho consuetudine sermo esset, nihil erat, opinor, cur poeta adderet omnia illa quae deinde de potentium invidia dixit; manifesto enim ea verba non mulierem spectant, sed inclytum regem et belli ducem. Verto: hoc enim (maritorum infidelitas) uxoribus iuvenibus maxime invisum peccatum est, et propter linguarum impotentiam difficulter eas celatur; maledici enim cives, habetque magna potentia non minorem invidiam, sed humiliter viventes vix animadvertuntur. Cf. Soph. Ai. πρὸς γὰρ τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει. Ita locum si interpretamur, optime habet ἔχθιστον v. 26, neque in αἴχιστον mutandum cum Heckero.

In versione mea admisi Hartungi correctionem μέγας pro τε γάρ. — ἄφαντον βρέμει. Eorum quae humili loco nati faciunt, rumor non venit ad hominum aures. Pind. 23 sq.

V. 34. Τρώων ἔλυσε δόμους ἀβρότατος.

Oratio non Graeca. Omnino legendum ἔπαυσε. Ex veteri lectione ΕΠΑΥΣΕ factum erat ΕΠΛΥΣΕ et male correctum ΕΛΥΣΕ. Non semel confusa vidi λύειν et παύειν.

V. 49. γυμνὸν — ϛάδιον. Opponitur δρόμος ὁπλίτης. Cf. I. I 22 Moneo propter Mezgerum, qui pag. 267 δίαυλον opponi putavit.

Nem. I 46 de anguibus strangulatis ab Hercule infanti dicitur:

ἀγχομένοις δὲ χρόνος
ψυχὰς ἀπέπνευσεν μελέων ἀφάτων.

Collato Hesychis s. v., qui interpretatur ϛόμα, correxi:

ἀγχομένοις δὲ χάνος
ψυχὰς (ψυχὰν?) ἀπέπνευσεν κτέ.

Pind. 24 sq. Similiter χάσμα beluarum rictus audire solet.

V. 35.

ἐπεὶ σπλάγχνων ὕπο ματέρος αὐτίκα θαητὰΝ ἐς αἴγλαν παῖς Διὸς
ὠδῖνα φεύγων διδύμῳ σὺν κασιγνήτῳ μόλεν.

Quis quaeso non multo potius expectet ματέρος — θαητᾶΣ, admirabili forma matris, quam θαητὰν ἐς αἴγλαν, cum nude dici soleat ἐς φῶς ἐλθεῖν? Saepe autem θαητός noster usurpavit de pulchra corporis forma (cf. P. IV 80. IX 108. X 58. N. XI 12), et de nulla muliere aptius adhiberi potuit quam de Alcmena, quam amore suo dignam habuit ipse deorum hominumque rex.

V. 50. *καὶ γὰρ αὐτὰ παισίν, ἄπεπλος ὀρούσαισ' ἀπὸ ϛρωμνᾶς,*
ὅ μ ω ς ἄμυνεν ὕβριν κνωδάλων.

'Ομῶς, quod dedit Christ, aptum non est, sed ὅμως, quod sane fert sententia, additum me iudice languet. Malim certe deletis virgulis:

καὶ γὰρ αὐτὰ π α ι σ ὶ ν ἄπεπλος ὀρούσαισ' ἀπὸ ϛρωμνᾶς
ἑ ο ῖ ς ἄμυνεν ὕβριν κνωδάλων.

De παισίν pro ποσσίν restituto a Bergkio prorsus non dubito.

Nem. III 19.

εἰ δ' ἐὼν καλὸς ἔ ρ δ ε ι ϜεϜοικότα μορφᾷ,
ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐπέβα παῖς 'ΑριϛοΦάνευς. Οὐκέτι
ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ 'Ηρακλέος περᾶν εὐμαρὲς πρόσω.

Vulgo editur ἔρδων τ', posita virgula post 'ΑριϛοΦάνευς pro puncto et omissa post μορΦᾷ. Quae scriptura cur ferri non possit, exposui Pind. 25. Ad structuram cf. N. IV 69.

V. 32. *παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς*
ΓΕΓΑΘΕ *Πηλεὺς ἄναξ,* ΥΠΕΡ*αλλον αἰχμὰν ταμιόν.*

Sententia: In iis quae antiquitus praeclare gesta sunt splendet Pelcus. Quare correxi:

παλαιαῖσι δ' ἐν ἀρεταῖς
ΛΕΛΑΜΠΕ *Πηλεὺς ἄναξ,* ΠΕΡΙ*αλλον αἰχμὰν ταμών.*

Ad περίαλλον cf. P. XI 8. Pind. 25. Fragm. 172: Οὐ Πηλέος ἀντιθέου μόχθοις νεότας ἐ ν έ λ α μ ψ ε ν μυρίοις;

V. 43. *ξανθὸς δ' 'Αχιλεὺς τὰ μ ὲ ν μ έ ν ω ν Φιλύρας ἐν δόμοις,*
παῖς ἐὼν ἄθυρε μεγάλα ἔργα· κτέ.

Locus turpiter interpolatus, nam neque τὰ μὲν intellegi potest, neque μένων significare potest, quod putant interpretes, d e g e n s, non magis quam Latine eo sensu m a n e n s dici potest. Utrique malo ut succurram, propono:

ξανθὸς δ' 'Αχιλεὺς τὰ μ α ν ύ ω ν Φιλύρας ἐν δόμοις
παῖς ἐὼν ἄθυρε μεγάλα ἔργα.

hac sententia: Flavus autem Achilles haec (scil. quam vera sint quae modo dixi, ingenitam virtutem longe superare doctrinam) ostendens, Philyrae in aedibus puer cum erat, ludens magna edebat facinora. Μανύειν Pindaro est δηλοῦν.

V. 47. σώματα δὲ παρὰ Κρονίδαν
Κένταυρον ἀσθμαίνοντα κόμιζεν.

Quo sensu interpretes hodie locum intellegunt, scribendum fuerat ἀσπαίροντα. Sed longe praefero Scholiastae lectionem ἀσθμαίνων ἐκόμιζεν, quod pulchre et graphice dictum est de sexenni puero, qui magna beluarum corpora anhelans portat ad Chironem.

V. 76. ἐγὼ τόδε τοι
πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ
σὺν γάλακτι, κιρναμένα δ' ἔερσ' ἀμφέπει,
ΠΟΜ' ἀοίδιμον Αἰολῇσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν.

Substantivo ἔερσα (i. e. δρόσος) vim tribuunt quam nunquam habuit, spumam (i. e. ἀφρόν) interpretati et novitium πόμα pro πῶμα nimis patienter ferunt. Deleta virgula post ἀμφέπει corrigo:

κιρναμένα δ' ἔερσ' ἀμφέπει
τὸν ἀοίδιμον Αἰολῇσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν.

qui (sic) temperatus liquor honorat virum clarum (victorem) Aeolicis tibiarum flatibus. Ad ἀμφέπειν cf. O. VI 61. Si quis forte praetulerit τόδ' ἀοίδιμον, clarum hoc facimus, per me licet. Pind. 26.

Nem. IV 36.
ἔμπα, καίπερ ἔχει βαθεῖα ποντιὰς ἅλμα
μέσσον, ἀντίτειν' εὐβουλίᾳ· σφόδρα δόξομεν
δαΐων ὑπέρτεροι ἐν φάει καταβαίνειν.

Aegre desidero pronomen, quare permittentibus numeris scribam *μέσσον* <*σ'*>, *ἀντίτειν'*. Sequentia male intellexit Dissen „*καταβαίνειν* petitum a victoribus, qui post res bene gestas inter spectatorum admirationem d i s c e d u n t". Verte: n o s v i d e b i m u r a d v e r s a r i i s m u l t o s u p e r i o r e s c u m g l o r i a i n a r e n a m (poeticam sc.) d e s c e n d e r e.

V. 44. Lege *τελέει* pro *τελέσει*. P i n d. 26.

V. 55. *Παλίου δὲ παρ ποδὶ λατρείαν Ἰαωλκὸν*
πολεμίᾳ χερὶ προστραπών
Πηλεὺς παρέδωκεν Αἱμόνεσσιν, κτέ.

Si *λατρείαν* haberem pro adiectivo, cum Schmidio cl. O. X 28 requirerem certe *λατρίαν* (licet inde, quod recte dicitur *λάτριος μισθός*, nondum sequatur urbem in servitutem redactam *λατρίαν* dici posse) et *πετρτραπών* cum Ahrensio, quod probabam P i n d. 26. Nunc collato Soph. El. 1198

τίς γάρ σ' ἀνάγκῃ τῇδε προστρέπει βροτῶν;

(sic enim haud dubie recte Reiskius correxit librorum lectionem *προτρέπει*) q u i s e n i m m o r t a l i u m a d h a n c n e c e s s i t a t e m t e r e d e g i t? emendare non dubito:

Παλίου δὲ παρ ποδὶ λατρείᾳ Ϝιαωλκὸν
πολεμίᾳ χερὶ προστραπὼν κτέ.

i. e. P e l e u s I o l c u m v i r e d a c t a m i n s e r v i t u t e m H a e m o n i b u s t r a d i d i t. Ad digamma urbis nomini praefixum cf. N. III 34. P. IV 188. Perperam Bergk pro *προστραπών* edidit *προτραπών*.

V. 58. *τέχναισι χρησάμενος*. Si quid mutandum, longe praetulerim coniecturam *χωσάμενος*, commemoratam a Triclinio, male sano Bergkii invento *χαρασσάμενος*, quod poetae obtrudere ausus est, dictum scil. pro *χαραχθείς*. Quam suspicionem impugnavi P i n d. 26 sq. Debuit saltem *χαραξάμενος*.

V. 67. εἶδεν δ' (Peleus) εὔκυκλον ἕδραν
τᾶς οὐρανοῦ βασιλῆες πόντου τ' ἐφεζόμενοι
δῶρα καὶ κράτος ἐξέφαναν ἐγγενὲς αὐτῷ.

Ipsi convivae mensis assidentes (ἐφεζόμενοι) efficiunt εὔκυκλον ἕδραν, itaque ἕδρας (gen.) ἐφέζεσθαι dici nequeunt. Corrigendum τὰν οὐρανοῦ κτέ. Ibidem.

V. 91. ἄλλοισι δ' ἄλικες ἄλλοι· τὰ δ' αὐτὸς ἄν τις τύχῃ,
ἔλπεταί τις ἕκαςος ἐξοχώτατα φάσθαι.

Scholiasta: ἕκαςος γάρ, φησιν, οἴεται ταῦτα ὑπάρχειν ἐξοχώτατα, ἅπερ αὐτὸς εἶδε. τοῦτο δὲ λέγει ὡς τοῦ Εὐφάνους παρατετυχηκότος, ὅτε ὁ Καλλικλῆς ἐνίκα τὰ Ἴσθμια· διὸ ὑμνήσει αὐτὸν ἅτε παρατετυχηκὼς καὶ ἑωρακὼς ἐν τῷ ἀγῶνι τοῦ Ὀρσοτριαίνα αὐτὸν νικήσαντα.

Quod Bergk ex Mingarelli coniectura textui intulit ἄντα τύχῃ, sola me iudice lenitate commendatur, nam intelligo, quo sensu Pindarus P. IV 27 dixerit ἔλπομαι μέγα εἰπὼν σκοποῦ ἄντα τυχεῖν, sed quid sibi velit ἄντα τυχεῖν τι, prorsus me latet. Magis placeret quod Hermann coniecit τὰ δ' αὐτὸς ἄν τις ἴδῃ, aut Mommsen αὐτὸς τὰ δ' ἄν τις ἴδῃ, nisi in utraque coniectura offensioni esset repetitum in utroque membro pronomen indefinitum. Mihi haud displiceat:

τὰ δ' αὐτὸς ἄντα Ϝίδῃ,

quae ipse coram viderit, ut librorum lectio nata sit ex interpretamento ἄν τις ἰδὼν τύχῃ.

Nem. V 6.

οὔπω γένυσι φαίνων τέρειναν ματέρ' οἰνάνθας ὀπώραν.

Certam arbitror Pauwii emendationem οἰνάνθαν ὀπώρας. Sic poeta N. IX 52 vinum vocavit ἀμπέλου παῖδα et Euripides Alc. 760 μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ. Cf. etiam O. XI init. οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων, παίδων νεφέλας. Bergk mirifice abusus loco prorsus alieno P. VIII 85 οὐδὲ μολόντων παρ'

ματέρ' — *γέλως* — *ὥρσε χάριν*, statuit *ματέρ'* loco nostro esse dativum, licet Homericae licentiae iota dativi elidendi nullum exstet apud Pindarum vestigium, et rescripto *ματρί* nihil lucremur praeter artificiosissimam et parum credibilem loci interpretationem. De Mezgeri explicatione (pag. 335) silere praestat.

V. 34.

ὁ δ' ἐφράσθη κατένευσέν τε οἱ (Peleo) *ὀρσινεφὴς ἐξ οὐρανοῦ*
Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεύς, ὥς' ἐν τάχει
ποντιᾶν χρυσαλακάτων τινὰ Νηρεΐδων πράξειν ἄκοιτιν.

Schol. *ἐπένευσεν αὐτῷ καὶ παρέσχεν ὥςε λαβεῖν γυναῖκα τὴν Θέτιν.* Potuitne Pindarus aliter scribere quam *πράσσειν*?

V. 54. Licet Bergk in ed. IV sententiam retractet, vere tamen in ed. III observasse videtur Scholiastam interpretantem *φαιδρὰ τὰ ἄνθη τῶν ςεφάνων* non legisse quod libri habent:

ἀνθέων ποιάεντα φέρειν ςεφανώματα.

Minus eam interpretationem mirer, si habuerit ante oculos *αἰγλάεντα*. Cf. P. II 10. IV 231. Ut enim poeticum *αἴγλα* per *φάος* interpretantur, sic *αἰγλάεις* per *φαιδρός* grammaticos explicasse, non est quod miremur. Ceterum *ποιάεντα* defendi potest.

Nem. VI 6. *μετὰ νύκτας*. Pessime Mezger „nach Verfluss der Nacht". Oppositum *ἐφαμερίαν* docere eum potuerat *μετὰ νύκτας* esse noctu, ut *μεθ' ἡμέραν* interdiu significat apud omnes. Non tamen diffiteor me malle *μετὰ νύκτα*. Sed cf. P. IV 256.

V. 9. *ἀρούραισιν, αἵτ' ἀμειβόμεναι*
τόκα μὲν ὦν βίον ἀνδράσιν ἐπηετανὸν ἐκ πεδίων ἔδοσαν,
τόκα δ' αὖτ' ἀναπαυσάμεναι σθένος ἔμαρψαν.

Manifesto depravatum est otiosum *ἐκ πεδίων*. Pind. 27 fluc-

tuabam inter ἐ κ π ο ν έ ε ι ν, quae lenior, et ἐ κ κ α μ ά τ ω ν, quae aptior correctio videtur, neque etiam hodie reperio quod melius substituam. Ad imaginem cf. N. XI 38.

V. 66. χειρῶν τε καὶ ἰσχύος. Schol. ε ὐ χ ε ρ ε ί α ς τε καὶ ἰσχύος. Corrigatur ε ὐ χ ε ι ρ ί α ς. Perpetuo haec confunduntur.

Nem. VII 12. ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαί σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δ ε ό μ ε ν α ι.

Legit sic iam Scholiasta interpretatus χρήζοντα (κατορθώματα). Nihilominus valde suspectum est δεόμεναι sine exemplo dictum pro ἐνδεόμεναι, s. ἐνδεεῖς οὖσαι. Quare suspicor poetam dedisse π ε ν ό μ ε ν α ι, quo verbo similiter translate usi sunt c. a. Aeschylus Eum. 409 et Euripides Suppl. 222, quemadmodum ipse Pindarus πλοῦτος metaphorice usurpavit P. VI 47. Nec δεῖσθαι nec πένεσθαι alibi apud nostrum nostrum leguntur, qui etiam a compositis verbi δέομαι abstinuit.

V. 16. εὕρηται ἄποινα μόχθων κ λ υ τ α ὶ ς ἐπέων ἀ ο ι δ α ί ς. Sic P i n d. 27 correxi pro κλυταῖς — ἀοιδαῖς, cl. P. II 13. Vid. Bergk ad P. II 21, ubi tamen praefero ἐ φ ε τ μ α ῖ ς, iungendum cum verbis ἐν πτερόεντι — κυλινδόμενον.

V. 36. Neoptolemus Delphis sepultus esse narratur, Πριάμου πόλιν — ἐπεὶ πράθεν, τ ᾷ κ α ὶ Δαναοὶ πόνησαν. Licet scholiasta iam ita legisse videatur, non tamen expedio voculam καί, quae sic tantum recte legeretur, si Neoptolemus non fuisset ipse Graecus. Expectaveram igitur τ ᾷ π ε ρ vel τ ᾷ δ ὴ Δαναοὶ πόνησαν.

V. 42. θεμίσκοπον. Schol. δ ί κ α ι ο ν ἔφορον. Immo δ ι κ α ί ω ν.

V. 58. Θεαρίων, τὶν δ' ἐοικότα κτέ. Ad hanc structuram Graecis sollemnem cf. Porsoni notam ad Orest. 614, et ex nostro mox v. 86. N. II 14. P. V 60. XI 41.

V. 79. καὶ λείριον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ' ἐέρσας.

Non agi de veris liliis, sed de coralio (cf. Scholia et Dissen) manifestum est. Suavis est Friedrichs, quem laudat Mezger „die Muse am Meeresstrand (!) Lilien pflückend, noch benetzt vom Thau des Meeres, das ist ein überraschendes Bild." Verissime dixit, nam mortales pro liliis ibi reperiunt lapillos et conchylia.

V. 71. ὑπομνύω
μὴ τέρμα προβὰς ἄκονθ' ὥτε χαλκοπάρᾳον ὄρσαι
θοὰν γλῶσσαν.

Recte Bergk vidit τέρμα non significare scopum, sed lineam (γραμμήν), qua arceantur iaculum missuri, ne propius ad scopum accedant, sed non expedivit, quid sibi velit προβάς, quod pro ὑπερβάς dici potuisse numquam credam. Unum tantum verbum hic aptum esse video περᾶν, sed fateor prima facie non lenissimam videri correctionem μὴ τέρμα περῶν ἄκονθ' κτέ. Nihilominus facile sic explicari potest ea corruptela, ut sumamus ex ΠΕΡΟ̄ natum esse ΠΡΟ et a correctore male suppletum esse ΠΡΟΒΑΣ.

V. 90.
ἐν τίν κ' ἐθέλοι (ὦ Ἡράκλεις) — εὐτυχῶς // ναίειν κτέ.

Quod sexcenties accidit, hic quoque factum esse suspicor, corrigens σὺν τίν κ' ἐθέλοι κτέ. Cf. Schol.

Nem. VIII 5. Schol. ἐπικρατεῖν explicat per ἐπιθυμεῖν, sed Grammaticus dedisse videtur ἐπιτυχεῖν.

V. 10.
ἤθελον κείνου γε πείθεσθ' ἀναξίας ἑκόντες.

Hic locus, ubi ut saepe alias vocula γὲ emphatica vi ponitur post pronomen demonstrativum, utilis esse potest ad corrigendum Archilochi locum fr. IV 4

ταύτης γὰρ κεῖνοι δ α ί μ ο ν ε ς εἰσὶ μάχης.

Emendandum:

ταύτης γὰρ κεῖνοί γ' α ἵ μ ο ν ε ς εἰσὶ μάχης

cl. Iliad. E 48

Υἱὸν δὲ Στροφίοιο Σκαμάνδριον, α ἵ μ ο ν α θήρης
Ἀτρεΐδης Μενέλαος ἕλ' ἔγχεϊ ὀξυόεντι.

Δαίμων idem significare posse quod δαήμων cras credam.

V. 19. ἑλελίξαις. Cf. O. IX 19 et P. I 4. Ex his locis apparet iam Pindari aetate apud Homerum hoc verbum, pro quo Dawes, Cobet, Nauck, alii ubique restituendum suspicantur Ϝελίσσειν, lectum fuisse.

V. 21. ὄψον [δὲ λόγοι] φθονεροῖσιν.

Cum Christio verba, quae pars librorum omittit, librarii supplementum esse puto, et quod substituit ὄψον φθονεροῖσιν δ ε μ ό μ φ ο ι ita probo, ut δ ὲ μ ο μ φ α ί praetulerim. Deinde verissime Hecker ἐ φ ί ζ ε ι pro ἐ ρ ί ζ ε ι. Pind. 27 sq.

V. 27. φόνῳ π ά λ α ι σ ε ν (Aiax). Dici sic nequit de eo, qui voluntariam necem sibi infert. Corrigo φόνῳ π α λ ά χ θ η, ut legitur παλάσσεσθαι αἵματι, λύθρῳ, ἵδρῳ, sim. apud Homerum. Cf. Aesch. Sept. 48. Soph. Ai. 43. Pindarus I. VIII 55, ubi φόνῳ ut h. l. est αἵματι. Anim. ad Theogn. p. 72. Pind. 28.

V. 33, Deleta virgula post ὁμόφοιτος, scribo:

αἱμύλων μύθων ὁ μ ό φ ο ι τ ο ς δολοφράδης κτέ.

i. e. συνοδοίπορος. Cf. Soph. O. R. 202 Μαινάδων ὁμόστολος, porro φιλός, ἐχθρός, σύμμαχος, alia quae ex adiectivis fiunt substantiva. Pind. l. l.

Similiter olim interpunctionem correxi apud Aeschylum Sept. 720 scribendo:

πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεὸν οὐ θεοῖς ὁμοίαν,
παναληθῆ κακόμαντιν, πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινῦν.

Vulgo enim male virgulae ponuntur post *θεόν* et post *πανα λαθῆ*, quamquam *κακόμαντιν* hic manifesto est substantivum, eodem modo iunctum cum *πανα λαθῆ*, quo *θεός* cum verbis *οὐ* — *ὁμοίαν*.

V. 44. *χρεῖαι δὲ παντοῖαι φίλων ἀνδρῶν· τὰ μὲν ἀμφὶ πόνοις ὑπερώτατα· μαστεύει δὲ καὶ τέρψις ἐν ὄμμασι θέσθαι πιστόν. κτέ.*

Mezger: „Am höchsten ist zwar der Nutzen der Freunde in der Noth — aber auch die Freude begereht vor Augen zu stellen (d. h. an den Tag zu legen) die Treue (nämlich der Freunde)." Cadit in oculos quam contorta sit ultimorum verborum interpretatio. Oppositio postulat „aber auch die Freude begehrt einen treuen (Freund) vor Augen zu sehen." Hinc nescio an una litterula mutata corrigendum sit:

μαστεύει δὲ καὶ τέρψις ἐν ὄμμασ' ἰδέσθαι // πιστόν.

V. 46. *σεῦ δὲ πάτρᾳ Χαριάδαις τε λαβρὸν*
ὑπερεῖσαι λίθον Μουσαῖον ἕκατι ποδῶν εὐωνύμων
δὶς δὴ δυοῖν.

Quid hic sibi velit *λαβρόν* non exputo. Mera enim commenta esse Dissenii interpretationem ingentem columnam et Mezgeri ein rauschendes (!) Musendenkmal nemo sanus dubitabit. Vocabulum depravatum esse satis constat. Pindar. 28, ubi egi de totius loci interpretatione, conieci *λευρόν* (var. lect. est *λαυρόν*) cl. Eur. Bacch. 982 et Lycophr. 159, nec hodie quidquam aptius reperio. Bergk coniecit *βάθρον*. Cf. O. XIII 8. — Insuper malim *σῇ δὲ πάτρᾳ*.

Nem. IX 22. De Argivis Thebas oppugnantibus legimus:

Ἰσμηνοῦ δ' ἐπ' ὄχθαισι γλυκὺν
νόστον ἐρεισάμενοι λευκανθέα σώμασι πίαναν καπνόν·
ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους φῶτας.

Superciliose contemtis reliquis criticis, Naber coniecit ἐπειγόμενοι, quod poeta, quidquid scripsit, scribere non potuit. Nam νόϛον ἐπειγόμενοι significaret eos in patriam festinantes caesos et rogis impositos crematos esse, quod dici non poterat de iis quos in ipsa urbis oppugnatione a Thebanis erumpentibus cladem passos esse constat. Sententia ferret, si vel hoc de mortuis dici potest, γλυκέος νόϛου ἐπειγόμενοι (cf. Homerieum ἐπειγόμενός περ ὁδοῖο), sed metri ratio sic scribi vetat. Equidem nîhil melius reperio quam quod proposui Pind. 28 νόϛον ἐρυκόμενοι, reditu interclusi, ut ἐρύκεσθαι ab Homero dici solent, qui alicubi inviti detinentur et morantur. Quam suspicionem non memoravit Naber, sive improbavit sive, suam ut promeret, de industria reticuit. In adiuncto Accusativo νόϛον saltem non est quod haereamus, cum dicatur ἐρύκειν τί τινι. Vide exempla apud Matthiaeum Gr. Gr. § 424, 2 sq.

V. 28. πεῖραν μὲν ἀγάνορα Φοινικοϛόλων
ἐγχέων ταύταν θανάτου περὶ καὶ ζωᾶς ἀναβάλλομαι
[ὡς πόρσιστα, κτέ.

Cοrrexi ἀναβαλλέμεν (vel ἀνάβαλλέ μοι). Pind. l.l. probante Nabero.

V. 34. αἰδὼς — ἃ φέρει δόξαν, De industria haec poeta addidit, quia duplex est αἰδώς, de qua omnibus nota sunt quae dixit Hesiodus Opp. eumque secutus Euripides in Hippolyto.

V. 37. παῦροι δὲ βουλεῦσαι φόνον
παρποδίου νεφέλαν τρέψαι ποτὶ δυσμενέων ἀνδρῶν στίχας
χερσὶ καὶ ψυχᾷ δυνατοί.

Quam ineptum sit βουλεῦσαι h. l. ostendi Pind. 29, ubi dixi incertissimam esse correctionem, tentans δ' ἐφορμῶσαν, δέ που λαβράν, alia. Verbum si latet, possis δέ που φῦσαν, sed locum felicioribus commendo.

V. 44. ἐκ πόνων δέ οἳ σὺν νεότατι γένωνται σύν τε δίκᾳ τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁ μ έ ρ α.

Optime sic scribitur et rectissime vetus scholiasta enarrat: ἡ αἰών ἐστιν αὐτοῖς ἡμέρα ἀντὶ τοῦ ἥμερος καὶ πρᾶος ἐστιν αὐτοῖς ὁ βίος πρὸς γῆρας, ὅταν ὦσιν ἐν νεότητι πεπονηκότες δικαίως, sentiens, opinor, quam apte τὸ ἄγριον τῶν προπεπονημένων ἐν νεότητι opponatur τῷ ἡμέρῳ τοῦ γήρως. Naber hoc nimis tenuiter scilicet dictum esse contendit, ut promere possit coniecturam ἀ ρ έ μ α, lento gradu, quod quam recte coeat cum verbo τελέθει (= ἐστι, γίγνεται) ipse viderit, ut omittam ἀρέμα non esse vocabulum Pindaricum. Αἰών feminini generis est, ut P. IV 186 V 6 sq. et haud ita raro apud poetas.

V. 47. κῦδος· (ὡς) οὐκ ἔστι πόρσω θνατὸν ἔτι σκοπιᾶς ἄλλας [ἐφάψασθαι ποδοῖν.

Pindari usum spectans multum dubito, num recte Bergk inserta vocula ὡς asyndeton oblitteraverit. Multo rectius me iudice Rauchenstein:

< ἄνδρ' > οὐκ ἔστι πόρσω θνατὸν κτέ.

Nusquam enim Pindarus singulari numero vocabulum θνατός substantive usurpavit, sed ubique addidit ἀνήρ.

Nem. X 9 μάντιν Οἰκλείδαο, πολέμοιο ν έ φ ο ς.

Ipsum bellum optime sic vocaretur, ut est I. VI 27 ὅστις ἐν ταύτᾳ ν ε φ έ λ ᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται, et caedes N. IX 38 vocatur φόνου νεφέλα. Sed fortissimum ducem Amphiaräum ita dici potuisse haud facile credam. Bergk coniecit φ ά ο ς, melius sane quam Rauchenstein γ έ ρ α ς. Notum est apud Latinos belli fulmina dictum de Scipionibus, ad cuius locutionis exemplum non absurde conicias πολέμοιο σ έ λ α ς. Ad usum huius vocabuli pro ἀστραπή cf. Hom. Θ 76. Soph. O. C. 95. Herod. III 28. In re tamen incerta nihil affirmo.

V. 13. ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος
ἵκετ' ἐς κείνου γενεάν.
Conieci ὄλβων Pind. 29.

V. 18. Ἥβα τελείᾳ παρὰ ματρὶ βαίνοισ' ἐστι.
In Heraeo Argivo iuxta Iunonem sedentem stabat Iuventae signum, opus Nausicydis, teste Pausan. II 17, 5. Pind. l. l.

V. 50. Legendum: οὐ θαῦμ' εἰ (pro θαῦμα) σφίσιν ἐγγενές, ἔμμεν ἀεθληταῖς ἀγαθοῖσιν. Ibidem.

V. 58. Lege ἀμπί<μ>πλαντες. Ibidem.

V. 61. ἀπὸ Ταϋγέτου ποδ' αὐγάζων ἴδεν Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει // ἥμενον. Pessime vulgo recepta est Triclinii correctiuncula πεδαυγάζων, i. e. μεταυγάζων, quod compositum Graecum esse aut esse posse nego. Nec tamen probaverim ποταυγάζων, quod coniectum a Stephano recepit Christ. Manifesto enim adspiciendi notio hic aliena est, et requiritur spectandi, itaque verbum simplex. Acu rem tetigisse mihi videtur Kayser coniciens δέ Ϝ' αὐγάζων ἴδεν — ἥμενον.

V. 71. ἐπ' Ἴδᾳ πυρφόρον πλᾶξε ψελόεντα κεραυνόν.
Verbo πλήττειν coniungitur accusativus eius qui (quod) feritur, non eius quod iacitur. Quare requiro σκᾶψε. Pind. 29.

V. 90. ἀνὰ δ' ἔλυσεν μὲν ὀφθαλμόν. Non est subiectum Ζεύς (sic Dissen), sed Pollux, qui optione sua fratri oculos resolvit, ope tamen Iovis. Ibidem.

Nem. XI 6. πολλὰ μὲν λοιβαῖσιν ἀγαζόμενοι
[πρῶτον θεῶν.

Corrigebam λ ο ι β α ῖ ς ἀ γ α π α ζ ό μ ε ν ο ι. P i n d. 30. Cf. P. IV 240 μειλιχίοις τε λόγοις ἀγαπάζοντ'. Verbum ἀγάζεσθαι relinquatur sequioribus.

Isthm. I 3. μή μοι κραναὰ νεμεσάσαι
Δᾶλος, ἐν ᾇ κ έ χ υ μ α ι.

Qui toti dediti sunt alicui rei, dicuntur κεχύσθαι εἴς τι vel πρός τι. Quare lego: ἐ ν ἅ ν κ έ χ υ μ α ι. Cf. fr. 51 init. et quae annotavi ad P. IV 127 et VIII 69. Ibidem.

V. 14.
ἀλλ' ἐγὼ Ἡροδότῳ τεύχων ΤΟΜΕΝ ἅρματι τεθρίππῳ γέρας,
ἀ ν ί α τ' ἀλλοτρίαις οὐ χερσὶ νωμάσαντ' ἐθέλω
ἢ Καστορείῳ ἢ Ἰολάοι' ἐναρμόξαι νιν ὕμνῳ.

Haud displiceret mihi M. Schmidtii coniectura τ ο ρ ὸ ν — γέρας, nisi viderem Pindarum nusquam eo adiectivo usum esse, sed longe certe praeferenda est Bergkii (τεθμόν vel θ' ὁμόν) et Hartungii (μέλος) commentis. Mihi venit in mentem:
ἀλλ' ἐγὼ Ἡροδότῳ τεύχων ΤΟΔΕΦ (τόδ' ἐφ') ἅρματι [τεθρίππῳ γέρας,
ἀ ν ί' ἐ ν (cum Hartungio) ἀλλοτρίαις κτέ.

Quominus enim cum Bergkii scribamus ἀνί' ἅτ', prohibet constans Pindari usus, cui ἅτε numquam est q u i p p e. Ad ἐπί cf. infra vss. 26 et 47.

V. 28.
τῶν ἀθρόοις ἀνδησάμενοι θαμάκις
ἔρνεσιν χαίτας ῥεέθροισί τε Δίρκας ἔφανεν καὶ π α ρ' Ε ὐ-[ρ ώ τ ᾳ π έ λ α ς, κτέ.

Manifesto πέλας in hac verborum compositione male abundat. Conieci καὶ παρ' Ε ὐ ρ ώ τ α (sic libri omnes) π ό ρ ῳ. Cf. O. VI 28. I 95. II 14. X 48.

V. 41.

εἰ δ' ἀρετᾷ κατάκειται πᾶσαν ὀργάν, ἀμφότερον δαπάναις τε καὶ πόνοις, χρή νιν εὑρόντεσσιν ἀγάνορα κόμπον μὴ φθονεροῖσι φέρειν.

Sic verte apodosin: oportet non invida mente splendidum laudis praeconium ferre iis qui eam (virtutem) assecuti sunt. A sententia enim prorsus aberravit Mezger, qui Didymum secutus voculam χρή iunxit cum dativo εὑρόντεσσιν, nam ut soloecam esse necne eam structuram disputari posse nunc τοῦ λόγου ἕνεκα concedamus, nihil tamen certius est quam Pindarum ab ea abstinuisse. Si haec igitur quam dixi est apodosios sententia, consentaneum est praecessisse hanc fere sententiam generalem: si virtus omnes hominum facultates requirit, tam sumtus quam labores, nec locum esse sententiae speciali quam Bergk coniciens εἰ δ' ἀρεταῖς ἀνάκειται subesse putavit vertens: si (Herodotus) deditus studio laudis agonisticae neque labori neque sumptui parcit, ut demus (quo de ipse non temere dubitasse videtur) ἀνακεῖσθαι a vetusto poeta usurpari potuisse pro προσκεῖσθαί τινι. Nam si eiusmodi quid Pindarus voluisset, in apodosi sequi debuerat εὑρόντι pro εὑρόντεσσι. Ergo Pindari locum emendaturis in protasi quaerenda est qualem indicavi sententiam generalem, cui etiam praegressa favere videntur. Ipse cum nihil quod satis videatur probabile reperiam, inutilium coniecturarum numerum augere nolo et feliciori ingenio rem committo.

V. 49. γαστρὶ δὲ πᾶς τις ἀμύνΩν λιμὸν αἰανῆ τέταται.

Propter verbi notionem expectabam ἀμύνΕΙν, tristem famam arcere laborat. Sic διατείνεσθαι cum Infinitivo iungitur, non cum participio, diciturque διατείνεσθαι πρός τι, non ἔν τινι.

V. 54. *ἁρμάτων ἱ π π ο δ ρ ό μ ι ο ν κελαδῆσαι.*
Recte nuper Rauchenstein *ἱ π π ο δ ρ ο μ ί ω ν.*

V. 63. Ἦ *μὰν πολλάκι καὶ* TO *σεσωπάμενον ε ὐ θ υ μ ί α ν*
[*μείζω φέρει.*

Quod coniecit Naber *ε ὐ υ μ ν ί α ν*, ne post ipsius quidem explicationem (pag. 42) satis intellego. Cum grano salis, quod aiunt, Pindari verba accipienda esse vidit iam Dissen, nimias laudes propter hominum invidiam displicere monens. Sed nescio tamen an poeta paullo clarius suam mentem significaverit scribendo:

πολλάκι καί TI *σεσωπαμένον εὐθυμίαν μείζω φέρει.*

Saepe etiam ALIQUID silentio praetermissum maiorem affert iucunditatem, i. e., si non omnia ad satietatem percensentur. Ad sententiam cf. N. V 15 sqq.

Isthm. II 19 sqq. Difficilem locum recte interpretari videtur Mezger, qui, ubi rei grammaticae aut inscitia aut contemptu non premitur, aliquoties verum vidit.

V. 25.

Ἀδυπνόῳ τέ νιν ἀσπάζοντο φωνᾷ
χρυσέας ἐν γούνασιν πίτνοντα Νίκας
γαῖαν ἀνὰ σφετέραν, τ ὰ ν δὴ καλέοισιν Ὀλυμπίου Διός
ἄλσος· κτέ.

Quia non tota Elis, sed sola Olympia dicebatur Iovis Olympii lucus, manifesto requiritur *τ ᾷ* (u b i) *δὴ καλέοισιν κτέ*, noto poetarum usu dictum pro *ὅπου ἐςὶ τὸ Ὀλυμπίου Διὸς ἄλσος* (*καλούμενον*).

V. 41. Placet nupera Wilamowitzii coniectura *θ έ ρ ε ι ο ς* pro *θερείαις.*

Isthm. IV 13 (III 81).

οἴκοθεν ϛάλαισιν ἅπτονθ' Ἡρακλείαις·
καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν.

Plurimis coniecturis novam addit Naber *ὡς*. Credam fortasse (saepe enim duae voculae confunduntur), si indicaverit mihi locum Pindari, ubi vocula *ὡς*, qua saepissime utitur, similiter usurpata est. Nunc *τᾶν* vel *ἄν* probabilius coniectum mihi quidem videtur.

V. 35. *ἴϛε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον, τὰν, ὀψίᾳ*
ἐν νυκτὶ ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ, μομφὰν ἔχ' ἐν
[*παίδεσσιν Ἑλλάνων.*

Iunge *ἀλκὰν φοίνιον, τὰν μομφὰν ἔχε κτέ.* et *ὀψίᾳ* — *φασγάνῳ*. Tum corrige *πετὼν περὶ Ϝῷ φασγάνῳ*, ut dici solet *περιπίπτειν τῷ ξίφει* qui suo se gladio confodit. Glossema esse potest *ταμών*, ut apud Aeschylum Eum. 592 *ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸς δέρην τεμών*, ubi probante Dindorfio substitui olim *βαλών*. Pind. 30.

V. 45. *τόλμᾳ γὰρ εἰκὼς*
θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων
ἐν πόνῳ· μῆτιν δ' ἀλώπηξ, αἰετοῦ ἅτ' ἀναπιτναμένα
[*ῥόμβον ἴσχει.*

Conclamato loco si non proderit, saltem non nocebit haec mea addita ceteris (quas recenset Bergk) coniectura:

τόλμᾳ γὰρ (οἱ?) εἴκει
φῦλον ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων
ἐν πόνῳ, μήτι δ' ἀλώπηξ κτέ.

Nam audacia ei (victori) cedit valde frementium genus beluarum leonum in labore, prudentia vero vulpes cett. Possis quoque *τόλμαν* — *μῆτιν*, nam verbum *εἴκειν* cum utroque casu iungitur rei, qua quis alii cedit. Sic Homerus *τὸ ὃν μένος οὐδενὶ εἴκων*. Sed multo usitatior est Dativus. Additum *θηρῶν*

tuetur Bergk loco Euripideo Herc. 463. Adde Arist. Av. 569. 763. Cum h. l. cf. O. XI extr, et fragm. 239.

In scholio antiquo ad ultima verba: ὑπτία τοῖς ποσὶν ἀμύνεται τὰ μὲν συλλαβομένη, τὰ δ' ἀμύσσουσα Pind. l. l. correxi εὐλαβουμένη, sibi cavens.

V. 63. ἔμπυρα χαλκοαρᾶν ὀκτὼ θανόντων.

Naber pag. 42 coniecit χαλκοδρόπων, quod non nisi extrema coactus necessitate accipiam, quoniam formam tam proprie Pindaricam quam est χαλκιάρας (praeter I. IV (V) 41 cf. χεριάρας P. V 35) haud facile vitio natam esse credam. Argutatur autem me iudice et vix serio loquitur amicus, ubi scribit „nego pueros fuisse aere armatos vel bellicosos. Si fuissent, quomodo eos Hercules potuisset superare? Πρὸς ὀκτὼ οὐδ' Ἡρακλῆς." Hoc est proverbiis abuti. Nam cum in vetustis fabulis prorsus nihil mirabile est, tum Herculem multo graviora virium atque roboris specimina edidisse in vulgus notum est. Quod autem scholiasta βιαιοθανάτους fuisse dicit, inde non apparet, ut arbitror, eum aliud legisse quam quod hodie legimus. Res notissima erat Graecis omnibus; et absurdas veterum grammaticorum etymologias si reputamus, nihil nos vetat suspicari, scholiastam vocem χαλκιάρας derivasse a χαλκός et ἐναίρειν.

Sed, utut ea res se habet, equidem nescio an pius poeta hoc loco, ubi de ipsius quoque Herculis, magni apud Thebanos dei, cultu agit, puerorum caedem, furiosi patris manu patratam, de industria verbis velaverit. — Mox πλακτίζοισα (66) et λευκανθής (69) pro λακτίζοισα et λευκωθείς palmares sunt Heckeri nostri coniecturae.

Isthm. V (IV) 12.

δύο δέ τοι ζωᾶς ἄωτον μοῦνα ποιμαίνοντι τὸν ἄλπνιστον εὐανθεῖ σὺν
εἴ τις εὖ πάσχων λόγον ἐσλὸν ἀκούσῃ. [ὄλβῳ,

Manifesto sententia requirit ἀ κ ο ύ ῃ, quod ipsum ex cod. B enotavit Bergk, sed iniuria sprevit.

V. 49. πόλις Αἴαντος ὀρθωθεῖσα ναύταις
ἐν πολυφθόρῳ Σαλαμὶς Διὸς ὄμβρῳ
ἀναρίθμων ἀνδρῶν χαλαζάεντι φ ό ν ῳ.

Legimus I. VII 27 ὅςις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χ ά λ α ζ α ν α ἵ μ α τ ο ς πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται. Quo loco adhibito suspiceris Pindarum hic dedisse ὄμβρῳ — χαλαζάεντι φ ό ν ο υ, usurpato φόνου pro αἵματος, quod saepe fecerunt alii poetae et ipse noster I. VIII 55. Cf. ad N. VIII 27. Tertius cum hic locis componatur Soph. O. R. 1278

ἀλλ' ὁμοῦ μέλας
ὄμβρος χ ά λ α ζ ά θ' α ἱ μ α τ ο ῦ σ σ' ἐτέγγετο,

ut legi solet ex Porsoni emendatione pro χαλάζης αἵματος. In versu praegresso (I. V 48) non video cur praeferamus Bergkii coniecturam vulgo receptam κ ε λ α ρ ύ σ α ι, quo verbo Pindarus nusquam usus est, lenissimae Boeckhii correctioni κ ε λ α δ έ ε ι ν pro κ ε λ α δ ε ῖ ν (sic libri), quod verbum poetae est in deliciis, quodque a futuris editoribus revocatum ire spero atque confido.

V. 57. οὐδ' ὁπόσαι δαπάναι ἐλπίδων ἔ κ ν ι σ' ὄ π ι ν.

Probabiliter Rauchenstein ἐ ξ έ π ε σ ο ν. Frustra librorum scripturam interpretantur.

V. 63. καὶ πτερόεντα ν έ ο ν σύμπεμψον ὕμνον. Non otiosum est quod additur νέον. O. IX 49

αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων
νεωτέρων.

Suspiceris fere interdum Pindari aetate factum esse, ut victor minus munificus antiquo carmine, quantum opus esset immutato, contentus esse deberet.

Poeta Gallicus Lebrun, cognomine Pindarus, hymni cantati

in Napoleontis magni epiniciis d. 29 Maii a. 1796 paenultimam strophen finivit hoc versu:

Il faut de nouveaux chants pour des
[palmes nouvelles.

Isthm. VI 45.

λίσσομαι παῖδα θρασὺν ἐξ Ἐριβοίας
ἀνδρὶ τῷδε, ξεῖνον ἁμὸν μοιρίδιον τελέσαι·
τὸν μὲν ἄρρηκτον φυάν, ὥσπερ τόδε δέρμα γε
[νῦν περιπλανᾶται.

Egregie placent Rauchensteinii coniectura ἀνδρὶ τῷδε ξεινοτίμῳ et Hartungii τῶς μὲν ἄρρηκτον, sed nondum persanata sunt ultima verba. Nam lenitur quidem Pauwius olim reposuit:

ὥσπερ τόδε δέρμ' ὅ με νῦν περιπλανᾶται,

sed non credo Herculem ex poetae mente dixisse Aiacem fore corpore tam robusto quam pellis leonis, quam gestabat, sed quam ipse leo, cuius pellem gestabat. Quocirca conieci: τῶς μὲν ἄρρηκτον φυάν, ὡς οὗ τόδε δέρμα με νῦν περιπλανᾶται // θηρός, ὃν πάμπρωτον ἀέθλων κτεῖνά ποτ' ἐν Νεμέᾳ.

V. 58 τὸν Ἀργείων τρόπον εἰρήσεται πᾶν ἐν βραχίστοις.

Nabero conicienti τῷ displicet huius loci asyndeton, mihi non item. Vide v. c. I. VII 37 ἀείσομαι χαίταν στεφάνοισιν ἁρμόζων.

V. 60. ἄραντο γὰρ νίκας ἀπὸ παγκρατίου
τρεῖς, ἀπ' Ἰσθμοῦ, τὰς δ' ἀπ' εὐφύλλου Νεμέας κτέ.

Sic eddidit Bergk, virgula inserta post τρεῖς, sed rectissime Mezger, quem vide pag. 343, veterem interpunctionem revocavit. Et agi de permagno victoriarum numero clare docent verba sequentia: ἀνὰ δ' ἄγαγεν ἐς φάος οἵαν μοῖραν ὕμνων.

V. 70. *κ α ὶ ξένων εὐεργεσίαις ἀγαπᾶται.*

Perperam Mezger „er hat seine Freude (sic) an der Unterstutzung der Fremden." Verte „propter hospitum beneficia diligitur." Sed vide an scribi oporteat *κ ἄ ν*, ut O. II 49 *νέοις* (l. *νέων*) *ἐ ν ἀέθλοις ἐ ν μάχαις τε πολέμου τιμώμενος.*

Isthm. VIII 34 *ἐπεὶ θεσφάτων ἤ κ ο υ σ α ν.*

Bergk in ed. IVta dedit *ἐσυνῆκαν*, qua barbara forma revera Anacreontem et Alcaeum usos esse haud facile credam. Pindarus saltem nihil commisit quare dignus censeatur, cuius oratio istiusmodi labe inquinatur. Reliquae omnes, quas Bergk in adnotatione recensuit, coniecturae ista meliores sunt.

V. 48. *λ ύ ο ι κ ε ν χαλινὸν ὑφ' ἥρωϊ παρθενίας.*

Vir noto usu dicitur virgini *λύειν ζωνήν*, sed nonne virgo dicenda est *λύεσθαι ζωνὴν ὑπ' ἀνδρός*? An igitur scribendum: *λ ύ ο ι τ' ἂ ν χαλινὸν κτέ.*?

Fragm. 97. *τὸ σαυτῷ μέλος Γλάζεις.*

Merum librarii *σφάλμα* esse videtur pro *Κλάζεις*, qua forma cum ceteris omnibus poeta usus est. P. IV 23. Non ignoro Hesychii glossam *γ λ ά ζ ε ι· πτερύσσεται. κέκραγε.* Ibi favente litterarum ordine olim ex Cyrillo correctum est *γλαγγάζει*, quod ipsum suspectum est pro *κλαγγάζει*, s. *κλαγγάνει.*

Fr. 101. *ὀρέων ὕπερ ἕστα, // καὶ μυχοὺς δ ι ν ά σ σ α τ ο.*

Ingeniose Bergk ope Hesychii *ἰ ν ά σ α τ ο*, i. e. *ἐκάθηρεν.* Quo invento usus, lenius etiam correxi:

ὀρέων δ' ὕπερ ἕστα· // καὶ μυχοὺς δ' ἰ ν ά σ α τ ο
βαλλόμενος κρηπῖδας ἀλσέων, κτέ. P i n d. 31.

Fr. 154. *ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν,*
ἐᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περιδαῖον.
ἐμοὶ δ' ὀλίγον μὲν γᾶς δ έ δ ο τ α ι ὅ θ ε ν ἄ δ ρ υ ς,
πενθέων δ' οὐκ ἔλαχον οὐδὲ στασίων.

Sic libri. Bergk metri causa dedit τόθεν, non curans sententiam, quae neque Reiskii commento ἀδρός, neque violentis Hartungii remediis restituitur. Conieci:

ἐμοὶ δ' ὀλίγον μὲν γᾶς δέδοται 'ν τ' (i. e. ἐν τε) ὀλίγα δρῦς.

Mihi paullum quidem agri datum est in eoque rara arbor, cett. Ad ὀλίγον γᾶς cf. μέλιτος μικρὸν Ar. Vesp. 878.

Fr. 159. ἀνδρῶν δικαίων χρόνος σωτὴρ ἄριστος. Utrum sic an γνωστήρ scribendum sit, disquisivi Pind. l. l. Tuebar tamen σωτήρ, ut sit haec sententia: iustorum hominum (propter ἀοιδῶν λογίων τε laudes) numquam interire memoriam.

Fr. 189. πανδαμί requirebam pro πανδαμεί. Ibidem.

Fr. 203.

Ἄνδρες τινὲς ἀκκιζόμενοι Σκύθαι
νεκρὸν ἵππον στυγέοισιν λόγῳ κτάμενον ἐν φάει,
κρυφᾷ δὲ σκολίους γένυσιν ἀνδέροισιν πόδας ἠδὲ κεφαλάς.

Recte fortasss κεφαλάν requirit Bergk, sed idem infeliciter coniecit δ' ἀσκελέως, non enim continuo Scythae equis vescebantur, ut arbitror. Pro σκολίους (sic Zenobius) reliqui paroemiographi habent σκολίοις. Vide an fuerit κρυφᾷ δὲ σκοτίοις (σκότιοι?) γένυσιν, quae responderint verbis praegressis ἐν φάει. Ad sermonis abundantiam cf. N. V 29:

ψεύσταν δὲ ποιητὸν συνέπαξε λόγον.

Sed cur dixit poeta ἀνδέροισιν, excoriant, ubi expectamus ἀποτρώγοισιν, abrodunt? An quod capiti pedibusque equinis carnes vix ullae sunt? De curvis gladiis cultrisve (σκολιοῖς γένυσιν) vix cogitari posse videtur, nec γένυς, quod sciam, de alio instrumento praeter securim usurpatur. Aliorum de loco haud satis expedito expecto sententiam.

Fr. 207. Ταρτάρου — ἀ φ α ν έ ο ς. Pro humili vocabulo in magnifica oratione P i n d. 31 suspicabar ἀ χ α ν έ ο ς.

Fr. 228 sic suppleverim:

τιθεμένων ἀγώνων πρόφασις
<τὰν> ἀρετὰν ἐς αἰπὺν ἔβαλε σκότον.

Fr. 233. καὶ φέρονταί πως ὑπὸ δούλειον τ ύ χ η ν // αἰχμάλωτοι κτέ. Conieci ζ υ γ ό ν. P i n d. p. 32.

ADDENDA.

Ad pag. 6. De ὄφρα apud Pindarum consentientem habeo PHILIPPUM WEBER, Beiträge zur Hist. Syntax der Gr. Sprache, herausg. v. M. Schanz II, 1 pag. 74. Non magis apud reliquos lyricos construitur cum futuro. Ibid. pag. 76.

Ad Olymp. IX 77 sqq. Pro suspecto verbo ταξιοῦσθαι duo tantum reperio verba, de quibus substituendis metro pariter et sententiae aptis cogitari possit. Alterum est verbum Homericum δηριᾶσθαι, licet unico, quo apud Pindarum reperitur, loco N. XI 26 appareat forma activa, alterum est δαϊῶσαι, Homero item (in forma Ionica) usitatum, cum Pindarus tantum usurpet adiectivum δαΐος N. IV 38. VII 28. Utrumque verbum a tradita lectione cum nimis remotum sit, ampliandum censeo. — Cum analogia saltem non pugnaret ταξιᾶσθαι, formatum ut δηριᾶσθαι.

Ad Pyth. III 56 sq. Similiter Iones abiecta reduplicatione οἶκα dixerunt pro ἔοικα. Omnino retinendnm ἁλωκότα.

Pyth. IV 70.

τίς γὰρ ἀρχὰ 'κδέξατο ναυτιλίας,
τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις;

Cum obiectum additum malim, tum minus hic apta videtur coniunctio causalis. Quare conieci:

τίς σφ' ἄρ' ἀρχὰ κτέ.

Ad Pyth. IX 93. Vetus scholiasta explicat εἴτε — εἴτε, nec fortasse εἰ — εἰ eo sensu dictum sollicitandum fuerat.

Ad Pyth. IX 113. Vulgatam lectionem sic interpretatur Mezger, ut πρὶν μέσον ἆμαρ ἑλεῖν poeta novaverit pro πρὶν ἆμαρ ἑλεῖν τὸ μέσον. Multum tamen dubito num quisquam Graecorum sic scribentem intellecturus fuisset. Neque αἱρεῖν sic usurpatur.

Pyth. IX 129. εἶπε δ' ἐν μέσσοις ἀπάγεσθαι.

Naber legi iubet ἀγαγέσθαι, quod si in omnibus libris legeretur, equidem in ἀπάγεσθαι mutarem, quia non de ducenda uxore, sed de abducenda, ut praemio victoriae, sermo est. Similiter verbum compositum necessarium est Herod. I 196: ἐκδοῦναι δὲ τὴν ἑωυτοῦ θυγατέρα ὅτεῳ βούλοιτο ἕκαστος οὐκ ἐξῆν, οὐδὲ ἄνευ ἐγγυητέω ἀπαγαγέσθαι τὴν παρθένον πριάμενον, ἀλλ' ἐγγυητὰς καταστήσοντα ἦ μὴν συνοικήσειν αὐτῇ οὕτω ἀγαγέσθαι, ubi optime Stein correxit ἀπάγεσθαι, nisi forte praestat Aoristus ἀπαγαγέσθαι.

Ad Nem. I 46. Si χάνος recte conieci, ψυχάν necessarium est, sin ψυχάς recte habet, χάνη conici potest. Placeat Hartungi coniectura ἀγχόμενοι — ἀπέπνευσαν, modo pro χρόνος aptius aliquid reperiatur quam χρόνῳ aut λέχρις.

Ad Nem. I 50. Ἐοῖς nimis remotum a παισίν. Retineo ὅμως.

Nem. VI 5. ἀλλά τι προσφέρομεν ἔμπαν
ἢ μέγαν νόον ἤτοι φύσιν ἀθανάτοις.

Suspectum est ἤτοι contra constantem antiquiorum scriptorum usum positum in altero membro sententiae disiunc-

tivae, cum poni soleat in priore. Vide B. A. 486, 31. Quare nescio an corrigendum sit ἢ τάν, quoniam in sermone poetico articulum addi minime vetat eius omissio in praegressis. Saltem hoc loco non abutar cum Bergkio ad corrigendum I. VII 8:

ἢ ὅτ' ἀμφὶ πυκναῖς Τειρεσίαο βουλαῖς;
ἢ ὅτ' ἀμφὶ Ἰόλαον ἱππόμητιν;

ubi bis intulit ἤτ', dictum scilicet pro ἤτοι, quasi diphthongum oI apud Pindarum elidi posse constet. Quid poeta dederit nescio, sed potius sequar Hartungium scribentem bis ἢ ῥ', aut Mommsenum reponentem utrobique ἦ', quam admittam Bergkii παραδιόρθωσιν. Homero A 170 οὐδέ σοι οἴω primus Bentley reddidit, non Thiersch, cui emendationem tribuit Christ in novissima editione Iliadis. Soloece ipse Christ E 252 coniecit οὐδέ σε πεῖσαι ὀίω pro necessario futuro.

Nem. IX 21.

φαινομέναν δ' ἄρ' ἐς ἄταν σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι.

Locutionem satis raram praeterea repperi apud Archilochum fragm. 98:

φαινόμενον κακὸν οἴκαδ' ἄγεσθαι,

quod nescio an ad Lycambis filiam referendum sit, et apud Herodotum II 161 extr.: δοκέοντες τὸν Ἀπρίην ἐκ προνοίης αὐτοὺς ἀποπέμψαι ἐς φαινόμενον κακόν, i. e. προὖπτον κακόν, ut plerumque in tali re dici solet.

Licet nihil faciat ad Pindarum, finem huic opusculo imponam tentando Ionis Chii elegiae fragm. I ap. Bgk. vs. 12:

τῶν δ' ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν.

Quid enim hic sibi velit βασιλεύς frustra quaerens, conieci:

τῶν δ' ἀγαθῶν βάσανος Ϝοῖνος ἔδειξε φύσιν.

quod non eget interprete. Ad digamma cf. vs. 3 θαλίαι τε Ϝανάκτων.

POETARUM LOCI IN TRANSCURSU TENTATI.

ERRATA.

Pag. 6, 14	pro	mutatae	*lege*	mutata
„ 13, 13	„	Ἅδραστος	„	Ἄδραστος
„ 42, 11	„	ποιάν.	„	ποιάν;
„ 43, 6	„	ἐλεῖν	„	ἑλεῖν

CORRIGENDIS ADDANTUR

Pag. 9, 3 *ἐσλῷ* *pro* *ἐσθλῷ*.

„ 13, 26 et 28 *ἑπτὰ* *pro* *ἐπτὰ*.

„ 28, 15 Gratiarum *pro* Gratiarnm.

„ 33, 3. Vulgatam tamen scripturam tueri videtur Ibyci fr. 9 (Bgk.) *ἐρασιπλόκαμον κούραν Πριάμου*.

„ 55, 8 Homericum *pro* Homerieum.

„ 57 extr. Retinendum *ἀγαζόμενοι*.

„ 59, 28 famem *pro* famam.

„ 62, 8 et 20 *χαλκοάρας* *pro* *χαλκιάρας*. Ex loco Pausan. IX 11, 1 intelleges fieri posse ut poeta Thebanus de Herculis filiorum morte famam a vulgari diversam secutus sit.

„ 63, 7 *αἵματος* *pro* *αἵματοο*.

„ 68, 15 *post* Iones *adde* et Aeoles.

LUGD.-BAT., TYPIS: L. VAN NIFTERIK HZ.



